R. P. IOANNIS SVRII


E SOCIETATE IESV,

MORATAE POESIS

VOLVMEN PRIMVM.

M. D. C. X V I I.

CVM PRIVILEGIO.





Zephyrus
Aquilo
Bubo
Pica.
Coruus
Plato in Phedro
MORATÆ POESEOS
VOLVMEN. I.
AVCTORE
R.P. IOANNE SVRIO
BETHVNIENSI
SOCIETATIS
IESV.
caput.
Vt Philomela,vt olor,Morata Poësis ab alto
Inspirata,graues entheat ore sophos.
Calce terit quidquid cœno est sociabile,ranas
Et Pharias,Polypi letiferumq; caput.
Et miraris ei si laurus amica corymbo
Ambiat oda hilarum perpetuetq; caput?
ATREBATI.
REGIACORVM.
TYPIS GVILIELMI
RIVERII.
1617.
Luscinia.
Olor.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
D. ANTONIO DE WINGHE,
ABBATI MERITISSIMO
COENOBII LÆTIENSIS,
APVD OMNES PERVVLGATI,
PRO CLARO A VITÆ SANCTIMONIA,
DOCTRINAQVE
D. LVDOVICO BLOSIO
IN HELPRANO HANNONIÆ FVNDO
A B. HILTRVDE VIRGINE
RELIGIONI DEVOTO,
PRIMVM SVVM HOC
MORATÆ POESIS VOLVMEN
AD DEI OPT. MAX. GLORIAM,
IMMACVLATÆ CHRISTI DEI
MATRIS LAVDEM,
STVDIOSÆ IVVENTVTIS BONVM
L. M. D. C. Q.
IOANNES SVRIVS BETHVNIENSIS
E SOCIETATE IESV.

ã 2 ACCIPE



ACCIPE *quæ vario (ceu vermiculata) minutim*
Secta stylo, fluidis venis, emblemata prompsit
Nostra tuo in IESVM *studio gratata poësis,*
ANTONI *Helpranâ Superis venerate coronâ.*
Hîc nonnulla quidem, facili quæ tramite currant,
Turgentes exosa typhos, & longa potentûm
Syrmata, digestim cernes epigrammata, certis
Clausa locis; at non hòc deteriora, minusue
Ausonio sparsim ad purum saturata lepore:
Non ideò sapiens (decorat quæ lemmata) desit
Mica salis, stimulansque viros ad præmia calcar,
Et quæ animos laxant grauibus medicamina curis.
Immò adeò (quid enim infitear?) si quando licebit
In breue contractò furtiua per otia visu
Perlegere hæc; prudens acri experiere palato
Docta magis, limata magis, sermone Latino
Tincta magis, quàm quæ tragico fæcunda boatu
Sublimes positis soccis, induta cothurnos,
Per salebras, per saxa ægros torquentia gressus,
Ampullas efflant, & sesquipedalia mistis
Verba screant spumis: vel quæ malè iuncea, vel quæ
Cerussata nitent, ruptique, vt adultera, primâ
Fronte tenent vacuam lectoris, inania, mentem.
Hoc etiam tamen, hoc etiã precor, antè legendum,
Si

Si qua videbuntur blanditim effusa libello
Palponum affectare viam, & captare fauorem;
Ne credas: nec enim procliuis emacia sensus
Blandimenta tuas perferre velimus ad aures.
Nec fas, non: ita iam viuax exsignet ab orbe
Cœlesti tuus ille mei qui liber ab vmbrâ
Puluereoque situ plutei fidenter ad auras
Aethereas, lucemque tuo sub nomine prodit
Augustinus, ab æterni traiectus Amoris
Igniuomâ in penitas glaciati pectoris oras
Aclide, mortali vt fines imponat amori.
Nil Augustino suppar in amore Magistri,
Magdalis, ablato Christi pro corpore, iugi
Cum lacrymâ stans ad vacuum sine more sepulcrum.
Insperatus item famulis lurcantibus inter
Pocula, talorum ludos, conuicia, pugnas,
Indignantis Heri reditus. Præmissaque mistim
Angustum in numerum contracta poëmata, vitæ
Congrua, me nihil ad sensum facientia ferre
Carmina, perspicuè, nec inaniter exsignabunt.
Quæ promptis obiecta oculis haurire licebit,
Si libeat. Nihil hæc grauiora negotia lædent.





LECTORI SVSPICIENTI MIRANTIQVE VASA AVREA, ET *argentea, quibus Dei conſilio ſpoliata fuit Aegyptus antiqua.*

TRIA ſunt huius in voluminis mei, & inſequentium dramatibus, de quibus te, LECTOR BENEVOLE, præmonitum velim.

Primum, eorum quædam Heroïco, non Iambico, de more inſtitutoque Veterum, ex conſulto, feciſſe me, verſu: quòd cum Tragœdiæ circumſcripta explicatio non excludat, cùm ſit imitatio numero, ſermone, aut harmoniâ: quòd opinione Terentiani ac Diomedis, tam Iambicum, quàm Hexametrum, carmen Heroïcum nominetur: quòd is ad Iuuenum ſit memoriam haud paullo facilior: quòd ad Auditorum aures gratior accidat: quòd inter omnes verſuum formas, ob inceſſum velut equeſtrem, ſplendidiſſimus appareat, vnde ἔποχες λόγος appellatur: quòd ad Heroum caſus, & luctus imitationem exprimendam quadret vel maximè: quòd Iambus in ijs quæ demiſſo atque humili ſermone inducuntur, Cicerone teſte,

Cicer. in Orat.

ſit

ſit frequentiſſimus: quòd Heroïcus peræque ac Iambicus, ſi non magis, ad motum animis afferendum appoſitus videatur: quòd idem Chriſtianus, Hipponactio & Archilochio ſit diſſimillimus, neque ad ſuſpendium Lycamben, aut irriſorem aliquem dentatis & aculeatis verbis adigere ſoleat: quòd poſtremò Poëſeos vim omnem, & vt vocant, eſſentiam, non in metro, ſed imitatione, optimorum iudicio, poſitam conſtet: quam adumbrare me non modò, ſed effingere commodiùs poſſe numeris Heroïcis cùm ſentirem; eos potiùs quàm Iambicos ad ſcenicum negotium ſi admouerem, liciturum fore & integrum citra vllam cenſoriæ ſeueritatis notam, planè iudicaui. Nam ſi abundè Poëtæ nomen ille promeretur, qui aliquid ſcriptione repræſentat, vel fingit, ſermone licet à menſurâ pedum numeriſque ſoluto ac libero (vt Cratetes Thebanus tragicus, Lucianus, Heliodorus, Martianus Capella, & ſexcenti alij) quis me illuſtrium rerum tragicam imitationem principio, exitu, ſtylo, perſonis, & numero, (quod vult Ariſtoteles) exprimere conantem ſubaccuſet? nullus iure, credo. Quare non dubito, LECTOR BENEVOLE, quin idē hocce meum in ſcribendo Heroïcè conſilium æqui boni facies.

Idem Ibid.

Ariſt. in Poet.

Alterum eſt: me præter veterum Poëta-

Horat. ep. ad Piso. rum consuetudinem ac præceptum, *Ne quarta loqui persona laboret*, plures in drama ludiones aliquoties induxisse: cuius tres in primis hasce rationes haud iustas modò, sed necessarias etiam vt perlegas velim: Vna est, quòd suas ipsi Poëtæ prisci fabulas dabant, qui pauci cùm essent, & in plaustris, rari proinde ad scenam personati prodibant. Neque verò frequentiores multò, cùm illorum in Poëtarum locum mercede conducti ex histrionum genere singulari (quales in Græcis Astydamas, Nicostratus, Callipedes; in Latinis Roscius, Æsopus, Spinter) subiuncti sunt. Secunda causa est: quòd in Veterum tragœdijs, vnius Heroïs luctus, exilium, cædes, vel id generis calamitas, horarum aliquot acta spatio, referebatur imitatione: ad cuius argumenti breuis notionem intelligentiamque, non tam profuisset, quàm obfuisset personarum multitudo: adde quòd ad robustiores animorum affectiones excitandas hoc exigui temporis interuallo, per omne amplificationis genus Poëtæ virtus excurrere, & cognosci minimè potuisset; quæ in paucis potest. Vltima ratio est: nos (qui neque histrioniam facimus, neque ad eam operas mercede conducimus, verùm, Iuuentutem permultam ad literas & honestatem omnem informamus) nostros auditores sub anni vertentis finem ac

ſtudiorum quaſi Autumnitatem (vt Catonicè loquar) in ſcenam pro laborum ſuorum accipiendis præmijs, progreſſuſque facti in literis edendo ſpecimine, ſolitos producere: quæ res vt ad venuſtatem, ordinem, &, vt ita dicam, decentiam fiat; adoleſcentum complurium humeros, latera, ceruices, voces, manus, vultus, oculos, corporis denique truncum omnem, ad principem Eloquentiæ partem, iudicio Demoſthenis, Actionem, multarum Heroïcarum virtutum imitatione exprimendâ concinnè, laboramus effingere. Quod vbi Parentes attentiùs auribus atque oculis audiunt aſpectantque; ſummâ nos quâ poſſunt cõtentione rogant atque obſecrant, ſuos vt liberos abſonos linguâ, vultu motuque corporis vaſtos & agreſtes, in idem ſcenæ ſtadium politiores inducamus, ne, ſi vel ad conciones & pulpita, vel ad cõcilia & forẽſes cauſas, vel ad alia vniuerſæ vitæ gerenda negotia, cùm adoleuerint, euocẽtur, ſuæ actionis turpificatæ vitio & fœditate, diſerti licet, infãtes (vt Pauſanias, Iſocrates, ac bis exploſus Demoſthenes) aliquando reputentur. Quas parentum poſtulationes & cauſas cùm repudiare & aſpernari iuſtè non poſſumus, tempori cedere (quanquam reclamante Veterum vſu & more) pluresque in ſcenam perſonas inducere, laudabilis humanitatis offi-

cio,

cio, & rationi disciplinæque nostræ omninò consentaneum deputamus.

Tertium ac postremum caput hoc esto: enixè rogare me, ne mireris quid sit quòd ab Aristotelis & Grammaticorum antiquorum sensu & consilio, de perbreui, quod solis vnius fermè periodo confectum sit, eligendo ad scenam argumento, sciens ac prudens in aliquibus meis poëmatis recesserim: has animi mei rationes habe: Omnes artes rudiores primùm, tractu deinde temporis excoluntur: sic tragœdiam à Dorijs, Glauco, vel Thespi adinuentam exasciauit Æschylus, dedolauit Sophocles, Euripides perpoliuit: quorum postremorum vterque à se quàm sæpe multumque dissidet! & ab vtroque quàm dispar Seneca! quid fuit causæ? nempè quòd vestigia Græca, Flacco teste, Romani sunt ausi deserere. Siquidem videbant illi Artem à naturæ notatione profectam, nutritam ingenio & industriâ, consummandam absoluendamque vsu: qui quò frequentior est & longior, eò maiore magistrorum omnium præcepta superat præstantiâ; estque, testimonio Ciceronis, dicendi magister optimus. Iam verò à tragœdiæ primis autoribus, ad nostra vsque tempora propagatus, & ad mundi finem producendus, nonne Priscorum inuentione multo insignior censendus est & illustrior?

Horat ep. ad Pison.

ſtrior? *Nunquam*, inquit in Terentio Demea, *quiſquam ita bene ſubductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui: aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias; & quæ tibi putares prima, in experiundo repudies.* Ego ſcenicum argumentum, cum priſcis conſentiens quaſique concinens, quia breuitate iucundum, & expolitione ad oſtẽtationem ingenij diſtinctum, annos multos approbaui. Sed verò cùm rem, ætatem, vſum aliquid noui quod è re Auditorum & meâ eſſet adportare didici; quæ mihi ac Veteribus antè putaram prima, in experiundo, vt repudiarem eſſe putaui. Qui audiant, Senatus, pópulus, an Iudices, frequentes, pauci, an ſinguli, multum refert, aït Catulo Craſſus apud Ciceronem. Eos autẽ omnes Dramatum noſtrorum auditores futuros frequentiſſimos, illoſque inter, illiteratos & hiſtoriarum rudes non paucos, quibus, vel propter inſcientiam, vel propter aſſiduum ſuis in operis & quæſtu ſtudium, ad bene viuendi cognitionem penitùs adſpirare per tempus non liceret, non fui neſcius: quibus vt facerem ſatis, præcipua quædam & ſingularia plurium argumentorum puncta ex pulcherrimis virorum aliquorum heroum factis delibata, duarum triumue horarum ſpatio, non Oratorio, ſed Poëtico numero & modo ad eorum & ſcenicorum ſalutem & bonum

In Adelph. act. 5. ſce. 4.

3. de Orat.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
D. ANTONIO DE WINGHE,
ABBATI MERITISSIMO
COENOBII LÆTIENSIS,
APVD OMNES PERVVLGATI,
PRO CLARO A VITÆ SANCTIMONIA,
DOCTRINAQVE
D. LVDOVICO BLOSIO
IN HELPRANO HANNONIÆ FVNDO
A B. HILTRVDE VIRGINE
RELIGIONI DEVOTO,
PRIMVM SVVM HOC
MORATÆ POESIS VOLVMEN
AD DEI OPT. MAX. GLORIAM,
IMMACVLATÆ CHRISTI DEI
MATRIS LAVDEM,
STVDIOSÆ IVVENTVTIS BONVM
L. M. D. C. Q.
IOANNES SVRIVS BETHVNIENSIS
E SOCIETATE IESV.

ã 2 ACCIPE



ACCIPE quæ vario (ceu vermiculata) minutim
Secta stylo, fluidis venis, emblemata prompsit
Nostra tuo in IESVM studio gratata poësis,
ANTONI Helpranâ Superis venerate coronâ.
Hîc nonnulla quidem, facili quæ tramite currant,
Turgentes exosa typhos, & longa potentûm
Syrmata, digestim cernes epigrammata, certis
Clausa locis; at non hôc deteriora, minusue
Ausonio sparsim ad purum saturata lepore:
Non ideò sapiens (decorat quæ lemmata) desit
Mica salis, stimulansque viros ad præmia calcar,
Et quæ animos laxant grauibus medicamina curis.
Immò adeò (quid enim infitear?) si quando licebit
In breue contractò furtiua per otia visu
Perlegere hæc; prudens acri experiere palato
Docta magis, limata magis, sermone Latino
Tincta magis, quàm quæ tragico fæcunda boatu
Sublimes positis soccis, induta cothurnos,
Per salebras, per saxa ægros torquentia gressus,
Ampullas efflant, & sesquipedalia mistis
Verba screant spumis: vel quæ malè iuncea, vel quæ
Cerussata nitent, ruptique, vt adultera, primâ
Fronte tenent vacuam lectoris, inania, mentem.
Hoc etiam tamen, hoc etiã precor, antè legendum,

Si

Si qua videbuntur blanditim effusa libello
Palponum affectare viam, & captare fauorem;
Ne credas: nec enim procliuis emacia sensus
Blandimenta tuas perferre velimus ad aures.
Nec fas, non: ita iam viuax exsignet ab orbe
Cœlesti tuus ille mei qui liber ab vmbrâ
Puluereoque situ plutei fidenter ad auras
Aethereas, lucemque tuo sub nomine prodit
Augustinus, ab æterni traiectus Amoris
Igniuomâ in penitas glaciati pectoris oras
Aclide, mortali vt fines imponat amori.
Nil Augustino suppar in amore Magistri,
Magdalis, ablato Christi pro corpore, iugi
Cum lacrymâ stans ad vacuum sine more sepulcrum.
Insperatus item famulis lurcantibus inter
Pocula, talorum ludos, conuicia, pugnas,
Indignantis Heri reditus. Præmissaque mistim
Angustum in numerum contracta poëmata, vitæ
Congrua, me nihil ad sensum facientia ferre
Carmina, perspicuè, nec inaniter exsignabunt.
Quæ promptis obiecta oculis haurire licebit,
Si libeat. Nihil hæc grauiora negotia lædent.





LECTORI SVSPICIENTI MIRANTIQVE VASA AVREA, ET

argentea, quibus Dei consilio spoliata fuit Aegyptus antiqua.

TRIA sunt huius in voluminis mei, & insequentium dramatibus, de quibus te, LECTOR BENEVOLE, præmonitum velim.

Primum, eorum quædam Heroïco, non Iambico, de more institutoque Veterum, ex consulto, fecisse me, versu: quòd cum Tragœdiæ circumscripta explicatio non excludat, cùm sit imitatio numero, sermone, aut harmoniâ: quòd opinione Terentiani ac Diomedis, tam Iambicum, quàm Hexametrum, carmen Heroïcum nominetur: quòd is ad Iuuenum sit memoriam haud paullo facilior: quòd ad Auditorum aures gratior accidat: quòd inter omnes versuum formas, ob incessum velut equestrem, splendidissimus appareat, vnde ἵπποκες λόγος appellatur: quòd ad Heroum casus, & luctus imitationem exprimendam quadret vel maximè: quòd Iambus in ijs quæ demisso atque humili sermone inducuntur, Cicerone teste, (Cicer. in Orat.)

sit

ſit frequentiſſimus: quòd Heroïcus peræquè ac Iambicus, ſi non magis, ad motum animis afferendum appoſitus videatur: quòd idem Chriſtianus, Hipponactio & Archilochio ſit diſſimillimus, neque ad ſuſpendium Lycamben, aut irriſorem aliquem dentatis & aculeatis verbis adigere ſoleat: quòd poſtremò Poëſeos vim omnem, & vt vocant, eſſentiam, non in metro, ſed imitatione, optimorum iudicio, poſitam conſtet: quam adumbrare me non modò, ſed effingere commodiùs poſſe numeris Heroïcis cùm ſentirem; eos potiùs quàm Iambicos ad ſcenicum negotium ſi admouerem, liciturum fore & integrum citra vllam cenſoriæ ſeueritatis notam, planè iudicaui. Nam ſi abundè Poëtæ nomen ille promeretur, qui aliquid ſcriptione repræſentat, vel fingit, ſermone licet à menſurâ pedum numeriſque ſoluto ac libero (vt Cratetes Thebanus tragicus, Lucianus, Heliodorus, Martianus Capella, & ſexcenti alij) quis me illuſtrium rerum tragicam imitationem principio, exitu, ſtylo, perſonis, & numero, (quod vult Ariſtoteles) exprimere conantem ſubaccuſet? nullus iure, credo. Quare non dubito, LECTOR BENEVOLE, quin idē hocce meum in ſcribendo Heroïcè conſilium æqui boni facies.

Idem Ibid.

Ariſt. in Poët.

Alterum eſt: me præter veterum Poëta-

 rum

Horat. ep. ad Piso. rum consuetudinem ac præceptum, *Ne quarta loqui persona laboret*, plures in drama ludiones aliquoties induxisse: cuius tres in primis hasce rationes haud iustas modò, sed necessarias etiam vt perlegas velim: Vna est, quòd suas ipsi Poëtæ prisci fabulas dabant, qui pauci cùm essent, & in plaustris, rari proinde ad scenam personati prodibant. Neque verò frequentiores multò, cùm illorum in Poëtarum locum mercede conducti ex histrionum genere singulari (quales in Græcis Astydamas, Nicostratus, Callipedes; in Latinis Roscius, Æsopus, Spinter) subiuncti sunt. Secunda causa est: quòd in Veterum tragœdijs, vnius Heroïs luctus, exilium, cædes, vel id generis calamitas, horarum aliquot acta spatio, referebatur imitatione: ad cuius argumenti breuis notionem intelligentiamque, non tam profuisset, quàm obfuisset personarum multitudo: adde quòd ad robustiores animorum affectiones excitandas hòc exigui temporis interuallo, per omne amplificationis genus Poëtæ virtus excurrere, & cognosci minimè potuisset; quæ in paucis potest. Vltima ratio est: nos (qui neque histrioniam facimus, neque ad eam operas mercede conducimus, verùm, Iuuentutem permultam ad literas & honestatem omnem informamus) nostros auditores sub anni vertentis finem ac

studio-

ſtudiorum quaſi Autumnitatem (vt Catonicè loquar) in ſcenam pro laborum ſuorum accipiendis præmijs, progreſſuſque facti in literis edendo ſpecimine, ſolitos producere: quæ res vt ad venuſtatem, ordinem, &, vt ita dicam, decentiam fiat; adoleſcentum complurium humeros, latera, ceruices, voces, manus, vultus, oculos, corporis denique truncum omnem, ad principem Eloquentiæ partem, iudicio Demoſthenis, Actionem, multarum Heroïcarum virtutum imitatione exprimendâ concinnè, laboramus effingere. Quod vbi Parentes attentiùs auribus atque oculis audiunt aſpectantque; ſummâ nos quâ poſſunt cõtentione rogant atque obſecrant, ſuos vt liberos abſonos linguâ, vultu motuque corporis vaſtos & agreſtes, in idem ſcenæ ſtadium politiores inducamus, ne, ſi vel ad conciones & pulpita, vel ad cõcilia & forẽſes cauſas, vel ad alia vniuerſæ vitæ gerenda negotia, cùm adoleuerint, euocẽtur, ſuæ actionis turpificatæ vitio & fœditate, diſerti licet, infãtes (vt Pauſanias, Iſocrates, ac bis exploſus Demoſthenes) aliquando reputentur. Quas parentum poſtulationes & cauſas cùm repudiare & aſpernari iuſtè non poſſumus, tempori cedere (quanquam reclamante Veterum vſu & more) pluresque in ſcenam perſonas inducere, laudabilis humanitatis officio,

cio, & rationi disciplinæque nostræ omninò consentaneum deputamus.

Tertium ac postremum caput hoc esto: enixè rogare me, ne mireris quid sit quòd ab Aristotelis & Grammaticorum antiquorum sensu & consilio, de perbreui, quod solis vnius fermè periodo confectum sit, eligendo ad scenam argumento, sciens ac prudens in aliquibus meis poëmatis recesserim: has animi mei rationes habe: Omnes artes rudiores primùm, tractu deinde temporis excoluntur: sic tragœdiam à Dorijs, Glauco, vel Thespi adinuentam exasciauit Æschylus, dedolauit Sophocles, Euripides perpoliuit: quorum postremorum vterque à se quàm sæpe multumque dissidet! & ab vtroque quàm dispar Seneca! quid fuit causæ? nempè quòd vestigia Græca, Flacco teste, Romani sunt ausi deserere. Siquidem videbant illi Artem à naturæ notatione profectam, nutritam ingenio & industriâ, consummandam absoluendamque vsu: qui quò frequentior est & longior, eò maiore magistrorum omnium præcepta superat præstantiâ; estque, testimonio Ciceronis, dicendi magister optimus. Iam verò à tragœdiæ primis autoribus, ad nostra vsque tempora propagatus, & ad mundi finem producendus, nonne Priscorum inuentione multo insignior censendus est & illustrior?

Horat. ep. ad Pison.

ſtrior? *Nunquam*, inquit in Terentio Demea, *quiſquam ita bene ſubductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui: aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias; & quæ tibi putares primâ, in experiundo repudies.* Ego ſcenicum argumentum, cum priſcis conſentiens quaſique concinens, quia breuitate iucundum, & expolitione ad oſtẽtationem ingenij diſtinctum, annos multos approbaui. Sed verò cùm rem, ætatem, vſum aliquid noui quod è re Auditorum & meâ eſſet adportare didici; quæ mihi ac Veteribus antè putaram prima, in experiundo, vt repudiarem eſſe putaui. Qui audiant, Senatus, pópulus, an Iudices, frequentes, pauci, an ſinguli, multum refert, ait Catulo Craſſus apud Ciceronem. Eos autẽ omnes Dramatum noſtrorum auditores futuros frequentiſſimos, illoſque inter, illiteratos & hiſtoriarum rudes non paucos, quibus, vel propter inſcientiam, vel propter aſſiduum ſuis in operis & quæſtu ſtudium, ad bene viuendi cognitionem penitùs adſpirare per tempus non liceret, non fui neſcius: quibus vt facerem ſatis, præcipua quædam & ſingularia plurium argumentorum puncta ex pulcherrimis virorum aliquorum heroum factis delibata, duarum triumue horarum ſpatio, non Oratorio, ſed Poëtico numero & modo ad eorum & ſcenicorum ſalutem & bonum

In Adelph. act. 5. ſce. 4.

3. de Orat.

bonum cōstringenda putaui. Quâ ex re quanto veteribus Tragœdis maiorem demeruerim perceperimque fructum, Iuuenes ipsi qui actionis dignitate multos eloquentes posteà superarunt; deinde Parentes eorum, qui suos liberos conformatione quadam, & figura totius corporis perpolitos ad rerū publicarum obeunda munia dum viderunt, alacres & læti singulares nobis gratias habuerunt: Viri denique sapientes, & populi multitudo, non ad clamores, plausus, admirationes tantùm, sed ad vitę melioris inclinationem, ad quam incumbimus, excitata, luculentum dicet testimonium, concisamque plurium argumentorum breuitatem, pleniore quàm illam vnius facti breuis ab antiquis Tragœdis expolitionē in scenā datam, ore dilaudabit. Nec iniuriâ: etenim si Timanthes qui dormientem, in tabellâ denarij paruitatem referente, Cyclopem, & iuxtà, pollicem eius thyrso metientes Satyros pinxit; si pictor alius apud Galenum quòd Phaëthontem, qui vectum quadrigarum rhedâ solem gubernabat, in eadē æris expressit formâ; si Myrmecides ob effictam quadrigulam aliam eburneam alis muscę tectam, & nauim cum suis omnibus armamentis, quam pinnis operibat apiculâ; Postremò, si qui totius Iliados Homericæ carmē in membranâ scriptum inclusit nuci, per vniuersum orbem

Plin. l. 35 c. 10.

Galen. de vsu p. l. 17.

Plin l. 36 c. 5. & l. 7 c. 21.

orbem, laudem consecuti sunt immortalem; ego quòd res non solis vnius periodo, sed vitæ vniuersæ curriculo factas contraxi, in angustumque deduxi, non reprehendar, credo. Quòd scenas multiplicauerim, actuumque numerum eâdem causâ contraxerim, multò minus. Et verò de laude quid est quòd laborem? laborem omnem mèum ad solius Dei gloriam, & animarum quæstum lucrumque reuoco. Quare cùm alijs, quę instituto suo aptiora sunt, amplecti fuerit semper liberum; quod meo accommodatum putaui, si amplexus fui, Lector beneuole, tot hisce lectis, expensisque rationibus, idem etiam fuisse mihi probabis integrum, puto. Vale in Christo, Lector beneuole, & hos meos labores ad iuuentutis bonum, æqui boni consule.



AMICO

AMICO LECTORI.

Cicer. 1. de natu. Deo. NÆuus, Amice Lector, in articulo pueri delectauit Alceum: vtinam vnicus in huius operis articulum irrepsisset: idem forsan expectarem. Sed quia plures non articulo, verùm vniuerso corpori aspersi sunt; non oblectationem, at fastidium & offensionem vt ferant, subuereor. Hoc vnum tamen me recreat, scire te quòd libri mendosè vt plurimùm, & scribãtur & veneant. Quæ causa est vt sperem te menda omnia, quæ tuos in oculos in lectione huius voluminis incurrent, excusaturum facilè, maximè cùm in primo eius aditu & quasi vestibulo collocentur.

Pag. 4. versu 9. *Ilessus*, lege, *Illæsus*. p.6. v 4. *Deum*, l. *Deûm*. p.7. v.19 *spissum* l. *spissim*. p.11. v. 1. *eructante* l. *ructante*. p. 28. v.3. *timorem*; tolle hypocolon. v.4. repone hypocolon post *Phrygiam*; p.37. *nestris* l. *nostris*. p. 61. v. 18. *anbelitum* l. *anbelitu*. p.78. v.16. *raucida* l. *rancida*. p. 111. v.8. *vltro* l. *vltra*. p.112. v.8. *mouebit* l. *monebit*. p. 114. v.1. *ludo* imperfectum. p.154. v. 11. *depulsus* l. *depulsum*. p. 156. *cur prende* l. *comprende*. p. 181. verf. vltim. *nequis* l. *nequit*. p. 192. v.14. *isto* l. *esto*. p.200. v.16. *Grauigenis* l. *Graiugenis*. p. 202. v.13. *vngues* l. *ignes*. p.219. v. 22. *dabo* imperfectum. p. 233. v. 9. *præmium* l. *procemium*. p. 253. v 10. *hac* l. *hic*. p. 267. v.4. *legetimo* l. *legitimo*. p.272. v. 16. post *de argento*, quæ sequuntur, tribuantur Promo-condo non Aurifici. p. 273. versum 12. sic corrige. *Vobis ab ære obnoxius sum debitor?* p.276. v.4. *hypætrum* l. *horreum*. v.5. *& omne* l. *omne &*. p. 279. v.7. *ire* l. *ira*. p. 291. v.5. *at* l. *ad* p. 295. v. 2. *præbito* l. *præbibo*. v.10. post *ita*, tolle *est*.

APPRO-



APPROBATIO.

R.P. IOANNIS SVRII BETHVNIANI, SOCIETATIS IESV, MORATÆ POESEOS VOLVMEN PRIMVM, nihil continet quod bonos mores offendere possit; aut quod S. R. E. Doctrinæ repugnet: Quare lucem publicam videre meretur. Quod ita attestatur vltimâ mensis Maij 1617.

A. HERBY *Canonicus Atrebatensis.*



IOAN-

IOANNES HERENNIVS PRÆPOSITVS PROVINCIALIS SOCIETATIS *Iesv in Prouinciâ Belgicâ, Guilielmo Riuerio Typographo S.*

CERTIS Archiducum diplomatibus in Concilio priuato 18. Martij 1610. Bruxellæ datis cautum eſt, nequis libros abs noſtræ Societatis hominibus compoſitos citra noſtram ſucceſſorumue noſtrorum permiſſionem imprimat, ita vt qui ſecus faxit librorum confiſcatione ſit mulctandus. Tibi permittimus, vt *Moratæ Poëſeos volumen primum, Auctore* R. P. IOANNE SVRIO *Bethunienſi*, Societatis noſtrę, liberè imprimere ac diuendere poſſis. In cuius rei fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Montibus Hannoniæ 26. Maij 1617.

IOANNES HERENNIVS.

POESIS



POESIS MORATAE
VOLVMEN PRIMVM.

IN VANA DEORVM, DEARVMQVE POETICARVM NOMINA.

ITE Aganippæi fontes, procul ite Caballi
Vngue Medusæo soliti de sanguine lymphas
Ducere. Pimpla, Helicon, Thespis, Libethrides undæ,
Pieris, idque genus Græcas furiantia mentes
Nomina, quæ rerum vacui, per inania sparsim
Carmina, futiliter vates perspergere gaudent:
Ite: cauas Erebi caligine stantis ad umbras,
Vnde genus trahitis, trepido remeate recessu.
Hîc alios fontes, alias hîc ducimus vndas:
Non quas Bæotis mendaciter Hippocrene
Prolicuit; sed enim quales locupletis Olympi
Propitiante supercilio delapsa plateam
In mediam, quà Iesuidis de marmore surgunt

Templa, Theocrene, sacro-sancto instante senatu,
Subtili dedit vbertim prorumpere lymphâ:
Quâ semel ad viuum simul ac intincta iuuentus
Ora lauit; non Ausoniæ modò lactea linguæ
Flumina, Cecropios domitura sapore liquores,
Eloquij fæcunda, spuit; sed & ebria mentem,
Nescio quâ superante fauos dulcedine cœli
Flāmiuomas, Cherubim ardētûm de more, fauillas,
Gliscentesque Dei omnipotentis amoribus ignes
Halat in æthereos tractus: quæ causa propinquos
Ignit, & oblitos terræ vilentis amores
Excitat ardentem ad cœli viuacis amorem.
Nil verò, nil tale ciet Libethris, Hianthis,
Pegasis, Aonioque fluens de vertice Phocis,
Et similes, portentoso quos nomine vana
Græcia mentitâ deduxit origine fontes,
Qui pellecta suis, epotaque pectora lymphis,
Infernæ malè præcipitant fornacis in ignes.
Vultis ego vestros exempla fidelia ponam
Ante oculos, interque manus? Mihi nonnihil aures
Acclinate: fidem facio me protinus istuc
Inferno reuocaturum de carcere vates
Helladios, Latiosque, suo qui carmine quondam
Libethræ scatebras, Hippocrenesque recessus
Irriguos tenuis lymphæ crepitante fluento
Adnixi (quæ cuique fuit facundia linguæ)
Certatim vastum latè vulgare per orbem,
Incurrere foci nunquam remeabilis ignes
Æternos, vani precium illatabile facti.

Ne

Ne porrò sint ulla moræ dispendia vobis
Tædia; futilium, quo quisque est ordine, vatum
Damnatos istuc celero producere manes,
Qui meritas nullo numero, nec tempore, clausi,
Quas tolerant propter malè sana poëmata, flammas
Exsignent. Ergo ante alios mihi nomine princeps
Et leuitate rei, mendax & inanis Apollo
Huic iuuenum turbæ medium te protinus infer.
Deinde perantiquæ stirpes & semina vatum
Musæus, Linus, & citharis accommodus Orphêus
Threïcius, tenui cui proximus interuallo
Ascræus cùm Mæonio te ponè sequuntor.
Proxima continuò teneat loca Liuius, illi
Ennius à tergo subeat: comes Accius esto:
Næuius addatur: Plautoque Terentius agmen
Agglomeret: post hos æquo discrimine, circum
Hunc medium irrepat nolensque volensque Catullus,
Bilbilicus Phrontoniades epigrammatis autor,
Persius, Ausonius, Iuuenalis, Horatius æui
Tertij, & in proprias qui sæuijt ense medullas
Gallus: ijs comitem te iunge Tibulle, Properti,
Naso: nec absunto quos postera sêcla tulere,
Quique Caballinos aluêos, & egentia rêrum
Nomina, materiæ tenues coluere poëtæ
Non eluto animi, fata ante nouissima, tabo.
Cuncti adsint, studijque sui testentur acerba
Supplicia, & verbis emptos dementibus ignes.
Ecce, videtis? inhorrentes fuligine vultus
Exertant, capiuntque locos, vnde omnia possint

Hoc medio caueæ, quæcunque rogaro, fateri.
Ergo operum imprudens atque oris inanis Apollo,
Dux autorque mali Graijs Latijsque poëtis,
Qui socio te præsentes circùm agmine stipant;
Dic, age, quæ vanæ tibi lucra poëseos? ecqua
Sunt animæ congesta tuæ compendia sęcli
Immortalis ab hoc studij mendacis amore?
Ecqua tibi momenta, tuæque sequacibus artis
Futilis aduexit Phocis, Parnassus, Ilessus,
Castalis, Aonides, Cyrrhæ iuga, Pimpla, Cytheron?
Auditis quàm semifero cum murmure frendens
Damnati de more, nouis incondita rumpat
Verborum simulacra modis! quàm flammea nubes
Turbine quæ fumat piceo circum ora, loquentem
Impediat, vocisque vias includat hianti!
Vis eadem miseri socios leuitatis amantes
Inuoluit flammante chao, neu libera voci
Vt mihi responsent, pateat via, præpedit. Ohe!
Iam satis est: murmurque ferũ, frẽdensque tumultus,
Vndantesque globi flammæ liuentis, & ora
Turbida, sulphureo quæ vortice fumus inumbrat,
Indicio verace notant hæc mollia vatum
Agmina supplicijs addicta perennibus antri
Infernalis, ob effusæ mendacia venæ
Flumina, vanidicosque suâ in leuitate labores.
Et quisquam, ô iuuenes, Musarum numen adoret
Præterea, passimque serat per carmina voces
Vaniloquas, quibus immeritò furetur honores
Et sua libamenta Deo, manesque colonos

Inferni

Inferni tralaticio veneretur honore
Sacrilegus! quid enim Satyros, Faunosque bicornes,
Siluarumque Deos, montanaque Numina Panas
Semicapros, quid eos, olidis immaniter hircis
Persimiles, quàm de cœli penetralibus olim
Detrusas animas mediæ in penitissima terræ
Viscera, sulphurëis flammantia stagna caminis
Esse putes? Quid Tellumon, Saturnus, Osyris,
Quid volucres rapidis incinctæ floribus Horæ?
Quid (ne fortè dijs teneam communibus aures)
Tutanus, Sator, Occator, Sarritor, Arungus,
Sterculius, Genij, Robigo, Volumnus, Aristeus,
Cælus, Auerruncus, Rurina, Feronia, Flora,
Spineusis, Matura, Pales, Lacturcia, Fornax,
Pluraque futilium numero incomprensa Deorum
Nomina, quæ prisci coluêre, coluntque poëtæ
Nostri æui; quos ficta hominum seruantur in vsus?
Nonne venenatis, rari sub imagine verbi
Perlecebris vatum vt pugnet diuersa Deo mens,
Ac per inextinctas diro libamine flammas
Sacrilegis mactata suâ cadat hostia dextrâ
Dæmonibus? Dubitare nefas: quæ edissero, mecum
Iesseidæ indubitata canunt oracula vatis:
Dijque Deæque omnes horum sunt dæmones, inquit,
Quique Dijs cultum tribuunt mendacibus, ipsi
Dæmonijs animas æterna in secula mactant.
Ecquis enim æthereo in cœlo moderamina rerum
Omnipotente manu versat? quis temperat omnes
Terræque tractusque maris, manesque profundos?

Quis vestras, Iuuenes, resides ad carmina venas,
Extimulat, clausas aperit, constringit hiantes?
Nonne scientificis animos qui afflatibus implet?
Vnicus ille. Proinde Deum tot inania vestris
Numina carminibus posthac miscere cauete.

NASCENTI CHRISTO.

AEtherea volucresq; graui sine corpore mētes,
Quas opifex rerū Deus ante exordia mūdi
Decliuis, diuo afflatu digessit ad vnguem
Explicitis numero ordinibus, posuitque laborum
Exsortes cœli empyrei penetralibus, vsque
Irrequieta, quiete hominum potiora, iubentis
Ad nutum obsequia instanti trepidare paratu;
An reuoluta Deo geniti natalia fastos
Per memores, festosque choros, celebremque beato
Carmine concentum plectri æternanda, sinetis
Liuida in ingratis obliuia carpere terris?
Antiquum instaurate melos, longè ardua cœli
Responsent, & quem solui metuente superstes
Fama vehit pennâ, quà sol vtrumque recurrens
Adspicit Oceanum, meritoque impertit honore
Numinis immensi, vestro per sidera plausu
Teste, recens veteres monstrate relambere cunas.
Auditis? placido læuum ecce repentè fragore
Intonat. Anne furor me ludit amabilis? Ægri

Corpo-

Corporis auulsam compage per æthera dulcis
Raptat amor mentem. Iuuat ire, sequique vocantis
Agminis imperium, quà non diuertitur vlla
Spes & cura leuis. Dulce est discrimen eunti
Cœlestûm obseruata sequi vestigia. Paruum
Nil hodie, tenuique modo, tantâ auspice turmâ,
Nil mortale loquar. Medium discedere cœlum,
Æthereasque animas video per inane vólucri
Libratas lapsu sese inclinare malignam
In vallem (miserandi hominis regna hospita) sancto
Connubio vt rerum nudis opulenta maritent
Terris astra. Oculis agnosco fidelibus almam
Candentis thalami speciem dI Pneumatis aurâ
Conflatam, certantem ebori, multoque nitentem
Puriùs excocto calidis fornacibus auro;
In quam se insinuet Patris omnipotentis Imago,
Virtusque & splendor, Soboles certissima. Longè
Hoc propter video Erigonem, Chelasque sequentes,
Lucentemque astrorum aciem sua corpora spissum
Densata in cuneum sinuosa per atria vasti
Ætheris, abrupto paullùm, pro tempore, cursu
Contrahere, & cœli iustà plùs parte, cohorti
Spirituum, circum adueniens venerabile Numen
Affusæ, merito venerata relinquere cultu.
Orbe Palæstino summa ad fastigia tecti
Pauperis effulsit rutilantibus ignibus æther.
Ecce iubar visum radiante inuoluere gyro
Virgineos artus, mollique innoxia tactu
Lamberè flamma genas, atque inter viscera pasci.

Obstupeo in tantâ defixus luce, mihique
Quamuis firma oculorum acies, obtusior errat
Intuitu, ac tanti impatiens candoris, hebescit.
Non est ille tamen sonitumque, metumque sequacem
Terribilesque acuens iras incude politus
Aëriâ, excussusque elisis nubibus ignis,
Æternâ sed fœcundus semente potentis
Ore Dei efflatus de vertice montis Orebi,
Quem grege balantûm tondenti pascua, Moses
Attonitus, flammæ glomerare incendia cælo,
Illæsæque Rubi medij's ardere medullis
Prospexit. Priscis indulta oracula séclis,
Quæ variâ Deus obnubit sub imagine, tandem
Panduntur. Superis ecce aureus imber ab oris
Decidit in gremium illibatæ Virginis. Vlla
Anne meos ludunt oculos simulacra? Leuisne,
Qui vacuam tenuit mentem, mihi rursus oberrat
Iupiter illapsus Danae? Procul este profana,
Dira lues iuuenum, sanctisque absistite monstris.
Namque incorrupto qui cælitus impluit imber
Aureus ille sinu, diuino semine, sanctos
Magnus alit mundi commistus corpore fœtus.
Quò penetrat mens, subtili quæ nixa volatu,
Densisque extricata plagis, & incerte malorum
Turbine, nobilibusque choris superûmque beato
Concilio mediam sese inserit! Ecce magistrâ
Arte laboratum vellus, candore niuali
Scintillans, terræ circùm arescentis hiulco
Æquore, per sudum cæli, concretus amœnâ

Temperie, humectare potens ros purpurat. Illi
O! mihi si liceat mentem admotare, salubres
Expressasque super lacrymanti vellere guttas
Excipere; æthereo quàm suâue rubentis amomi
Floribus intertexta darem libanda Parenti
Serta! rosas quàm sanguineo splendore rubentes,
Ac dulci insignes violas ferrugine ridens
Nascenti puero mea pectoris area ferret!
Ast anime arcanis quorsum procul auia rebus
Lumina declinas? aciem reflecte, videbis
Eminus angustis habitata mapalia tectis,
Quà se conspicuam veteri Bethlemia muro
Vrbs aperit. Moles ibi saxea procubat vrbis
Parte suburbanâ longo semota recessu,
Moles armentis stabulata cubilia, moles
Nunc stata diuinæ cunabula putida proli.
Atque adeò, ne vana putes insomnia lusis
Obiectata oculis me fingere; cerne supremi
Assuetos Patris obsequio, omnipotentis Olympi
Indigenas volucres, stupefacti, vt Numine nostram
Plus nimio miserante vicem, diuersa reclinent
Ora repercussis inter se vultibus: atque
Vt trepident primò ancipites, oculisque videre
Ambiguis, homine indigni præsepis iniquum
Stirpe Dei solium: densoque examine Regem
Cunctantem, per inane, loci fastigia circum
Expectent. Verùm ecce Deus, Deus ecce propinquat,
Ecce improuiso vibratus ab æthere fulgor,
Fulgor inoffenso penetrans imperuia lapsu

Pectora, fulgor oborta libidine nubila tergens,
Tempestate nouus, nouus aurâ & Numine fulgor.
Mirabar magno quem plaudens corpore terra
Expandensque sinus, plenâ sic voce vocaret.
Hæc erat, hæc, votis quam sæpe ardentibus olim
Optauere Patres, cœli indulgentia, quæ iam
Tarda senescentis mundi sub secula terras
Excipit. Accipio solers lætabilis horæ
Haud dubijs ostensa mihi monimenta figuris.
Nam supero venit ecce puer legatus ab orbe,
Idem obses sponsorque hominũ, magnique sequester
Fœderis, omnipotens Virtusque Iubarque Parentis
Æterni, angusto carnis qui corpore clusus
Venit in has orbis tenebras, vt noctis abacto
Curriculo, innubis non emoritura diei
Lumina, quæ pandant diuina palatia, flammet.
Huic puero termes nunquam fallentis oliuæ
Implicuit dextram, pacalia Symbola, Patris
Compositi ad iustam in terras, quâ sæuijt, iram.
Iste puer, tenuis quem paupere velat amictu
Carbasus, in duro stipulâ, filicumque maniplis,
Præsepi, resides seruos in sceptra reponet.
Iste puer sancto genus Israële profectum
Excusso à ceruice iugo, grauibusque lupatis
Hactenus iniusto nimium sub fasce remorsis,
Securum pelagi, turmæque hostilis, in arua
Læta, suauifluo quà lacte fluenta susurrant,
Et plenis spumat labris vindemia, cedros
Inter odoratas, mellisque examina, ducet.

Iste puer diui eructante volumen amoris
Fornace, & Cruce quadrifidâ nunquã ante per artem
Vsibus humanis extusâ incude, recudens
Secula, letali ferro durata, necisque
Æternæ districtam aciem diffinget in vmbras
Damnatas, tumido genus implacabile fastu.
Spes etiam donare nouas prælargus, amara
Curarumque potens animis detergere, victor
Fausta per obstantes sua proferet arma cateruas,
Signaque Auernalis turbæ direpta superbis
Postibus, attrito referens ex hoste trophæum,
Insontes animas, abiuratasque rapinas
Restituet Patris imperio, cæloque reponet.
Longiùs at plenusne Dei, imprudensue laborum
Proposito diuersus agar de tramite, miror.
Ne fors incautum pietas me fallat, amata
Parcite Cœlestes arcana retexere: mentem
Parcite natiuis defectam viribus, omnes
Per fastos sacrati ortus raptare: iacentes
Namque agitur, quamuis obnixa, reuisere terras.
O vitam inuitam! ô incommoda cõmoda! rursum
Inuitus piceâ cæca caliginis vmbrâ
Inuoluor: miseros iterum miser implicor artus;
Quin modò, Belgarum lectissima pectora, vanis
Indulsisse vacat curis? quin protinus alto
Nitimur hinc animo certatim abrumpere nexum
Corporis, vt nullâ remorante crepidine terræ,
Pernici liceat conuexa per alta volatu
Æthereos penetrare sinus, fontemque bonorum
Omnium

Omnium inexhaustum limato ducere visu!
Vsque adeóne oculos gelidus stupor vrget inertes,
Nostra vt, deuexo nequidquam pondere, semper
Ima petat, squallensque lutum mens obruta lambat?
Vt mundi hostis opes inopes, concordia discors,
Informis forma, insipiens sapientia, vita
Mortalis, fallax facies, & adultera fuco
Dementique ioco lasciua licentia, & omnes
Deliciæ æternis venales ignibus, æuo
Nos volucri incassum iaculatos multa, suaui
Compede, sed præsentem animis properante ruinam
Detineant? Non hîc est patria nostra: reductâ
Non hac valle Deus proprias dat figere sedes:
Namque citra rerum metas ac tempora, nobis
Propter se posuit solium immutabile regni,
Quo secura quies, & nescia fallere vita.
Ergo agite, & summo nixos certamine, gressus
Non pigeat firmare, pio quà numine Christi
Rara per angustos deducit semita calles.
Ecce vocat, primusque viam terit: ecce superbis
Elatas moles stratis, Lybiæque recisis
Postibus, & Tempe Zephyris agitata, micanti
Illusasque auro vestes, vitemque Falernam,
Et Siculi effusos luxus epulasque Tyranni
Pauperie gazas fallente beatior vltro
Fastidit. Nos, progenies vilissima, putri
De limo composta, nouo sublimia ritu
Atria, mobilibus pomaria mollia riuis,
Regalesque inter mensas mera Cæcuba, plebis

Ac procerum geminos plausus, Afroque retincta
Murice, corporei tumuli velamina, flammis
Vecordes animas deflectere, gaudia carnis
Impermissa malè à tenero me ditabimur vngui!
Ocyus, ô! culpam hanc libeat compescere, multâ
Et mercede voluptatum vim euincere, sæuus
Ne vitæ aduenįat Iudex, scelerumque tremendus
Exactor: seræque coquant post funera curæ.



CHRISTI NATI HYPOTYPOSIS AD STVDIOSOS.

QVID *presso ore stupes, cur in me arrecta Iuuentus,*
Spemque metumque inter ferris, trepidantiaque haurit
Corda pauor pulsans? nulla hîc, absiste moueri,
Causa metus: equidem, haud dubito, lætissima latâ
Materie, lætante loco, lætantibus auris,
Atque adeò lætis cœli conuentibus, omnes
Transfusa in sensus vestras haustura medullas
Carmina, si vati pronas aduertitis aures.
Principiò radijs insignem ac luce coruscum
Infantem positum stabulo, fultumque palustri
Carice, & horrenti culmo spectate: nitentes
Vtque oculos puer, vtque manus, vtque ora gerebat
Exsultim, vt teretes in spondâ paupere mollis
Iactabat suras, vt brachia lenta, lacertosque

Exiles

Exiles matri arridens tendebat, amoris
Indubitata ſui prænuncia ſigna, notaſque
Illuſtres, quibus alternis ne deinde pigeret
Officijs certare, palam mortalia corda
Pelliciens, aurata velut per vincla, trahebat.
Huic iubar irradiare genâ vernante, leueſque
(Sicut odoratis latè ſuffitibus) omne
Per ſtabulum afflatas tepidis vagitibus auras
Halare, attonitaſque nouâ dulcedine mentes
Adſtantûm, & raptim venarum adſtringere fibras
Cernere erat. Miror tanta ad ſpectacula Matri,
Ioſephoque, ſui compage repentè ſolutâ
Corporis, haud ſubitò vitamque animũque ſequentẽ
Erupiſſe foras. O! ſi mihi libera tanti
Copia ſpectandi vultus! ſi brachia, plantaſque
Attrectare manu, nudique iacentis agreſti
In ſtipulâ veſtire meo licuiſſet amictu
Acris anhelantes rigidâ vi frigoris artus,
Aut pluteum, patriumque torum ſubſternere cunis;
Nunquam hodiè ſupero cœli diſcluderer orbe
Exul, & infelix miſeranda pericla morarer,
Quæ moror. At motos præſtat per carmina plauſus
Conficere, ardenteſque ignes, rapidaſque frementis
Lætitiæ flammas gelidam inter ſpargere pubem.
Ecquis erit mecum, Iuuenes, qui primus inerti
Luſu abiens, mundique leuis retinacula rumpens,
Immenſo pueri IESV *rapietur amore?*
Quis ſua carceribus mundi veſtigia liber
Excutiet mecum, & lætanti fronte ſubibit

Non

Non solium ex auro positum, solidoue elephanto,
Quod circùm vigili armatum custode, superbo
Intertexta auro obnubunt aulæa; sed ipsi
Imprimis delecta Deo præsepia, natum
Quæ IESVM excepere sinu? Quis mille grauantûm
Curarum mala, Cocyti quæ spiritus atram
Collecta in nubem, diuini obicesque morasque
Luminis, obtendit nostris obtutibus, instar
Threicij Boreæ, qui turbida nubila differt,
Discutiet, Patris vt Iubar, effigiemque, replensque
Hanc mundi immensam molem, haud memorabile Verbum
Angustis (hominum ingrato pro crimine) carnis
Conclusum septis, oculo interiore tueri
Possit, & Infantis feruescere ab igne tuendo?
Quis mecum patrios abolere paratus amores,
Grata columbatim mistis amplexibus ori
Basia libabit IESV? Si Numinis ira
Obscelus, & pœnæ quenquam formido moratur;
Vana mora est: damni facilè obliuiscitur infans,
Æternique odij gliscentem extinguere flammam
Doctior, ardenter lædentis in oscula fertur.
Fortè retardabit vibratus ab æthere fulgor,
Auditusque tubæ mugire per aëra vasto
Cum tonitru montis Sinai de vertice clangor,
Quæ causa Isacidas tumuli ad deuexa, stupore,
Terrificæque gelu formidinis externatos
Impulit armati crepitu, clangore, fragore,
Ac trifidæ lucis radijs ardentibus ora

Decli-

Declinare Dei, nec velle affatibus vllum
Quàm Mosen, audire, omni, quo deuia vasti
Per loca deserti fugientes prendere terras
Solliciti flexere pedum vestigia, cursu.
Hic similes ne finge metus: neq; enim vlla coruscãt
Fulgura, nec tonitrus reboat, raucusue per auras
Auditur fragor, aut præfracto murmure clangens
Buccina, quæ soluenda Deo tua vota retardent.
Nil præter volucrum lætatos aëre cœtus
Spirituum cernes: nil per cunabula, suaue
Quã melos, atque nouâ qui immurmurat arte, susurrũ
Aure bibes. Et adhuc stabulo succedere cessas?
Quænam, age, dic, inimica tuis mora nisibus obstat?
Anne quòd insontem Ioseph Patris instar, ab alto
Demissum cœlo peregrinâ in veste, salutis
Autorem, illecebris venalem vt mollibus, hosti
Prodideris, rabidoque furens deuolueris auso
Per tormenta, ferasque cruces in mortis abyssum?
Digna quidem tibi causa, tremor cur occupet artus,
Horrescatque gelu sanguis: non secius illa
Quàm Iacob soboles bis quina, palatia Regis
Niliaci subiens, quæ vultus fratris & ora
Vt nouit, visu in medio, defecta calore
Venisluo, pallore genas infecit & ora,
Diriguitque animis, dum, paullum abeunte timore,
Iosephi lachrymis tandem fidentior, omnem
Oblita inuidiam, iustarum oblita priores
Irarum causas, auidis complexibus illum
Stringere, inexpleto gliscens exarsit amore.

Tu

Tu quia germanumque tuum, patremque, Deumque
Vendideris, pactus pretium illætabile, carnis
Delicias, atrâ quateris formidine, tanti
Vltricesque mali metuens expendere pœnas,
Os Iesu, faciemque fugis. Ne defuge: Largis
En quibus illachrimans cunabula tenuia guttis
Ex oculi scatebrâ stillantibus irrigat, imo
Pectoris erasa irarum vestigia clamat:
Ergo, Iuuenta, moras abrumpe, tuamque parantis
Perniciem, fuge blanditias, fuge munera mundi:
En Iesus petit amplexum, vult oscula, mentem
Corque rogat, parat & cælo te inferre: negabis?

CHRISTO PVSIONI CRVCEM OBLATAM AB ANGELO PRENSANTI.

CHriste quid exsultim niueos per inane lacertos,
Prensantesque manus, osque, oculosque iacis?
Anne grauem, quam prætendit tibi cælicus Ales,
Impare prægestis corpore ferre Crucem?
Pone modum desiderio: Crux dedecet annos
Lactentes, Zephyri quos leuis aura grauat.
Pupos caltha, rosæ, violæ, thyma, lilia, nardi,
Cinnama, poma, nuces, mattya, fraga decent.
Tu nequiens pappare, rudis lallare, labores
Præligis, opprobrium, lora, flagella, Crucem!

B *Non*

Non fero, ais, dum firma virum me fecerit ætas,
Tantùm aueo, pro te, ne moriare, mori.
O! quis amor te, Christe, coquit, dum frigus amoris
Me gelat! astrictum Christe resolue gelu.

CHRISTO CRVCIFIXO.

Nunquam dedignate reos, Iesu, optime, quādo
Te penes est damnare, penes saluare; tuæ me
Dedo voluntati: si quid tamen, ô! tua possit
Mors sine lege potens, sine fine, modoque, nocentum
Culparum Oceanum, quācunque immensus inundet,
Exsuperans, cuius nunquam fiducia (quamuis
Spemque metumque inter) de supplice pectore cedet.
Te per eam obtestor, meritâ me à morte reserua:
Namque tuæ offensam toties bonitatis abyssum
In iustos me flagitiis acuisse furores
Et pudet, & super humanæ dispendia vitæ
Tædet, vt æterno recolam tua carmina cantu.


IN





IN SEPTVPLICEM MEDITANDÆ PASSIONIS DOMINICÆ RATIONEM.



ON patiar tecum ac doleam [a] *! Non te æmuler* [b] *ô Lux* a Compassio. b Imitatio.
Certa viæ! Non te, Athleta ô fortißime, mortis
Victorem attonitis [c] *emirer sensibus! An non*
Continuas [d] *referam, memori pro munere, grates?* c Admiratio. d Gratiarũ actio.
Nonne ego, quòd [e] *patriæ pietatis prodigus olim*
Bruta voluptatum fœdarum armenta sequutus e Acerbus de peccatis commißis, & Christi paßione, coporis & animi sensus.
Dæmonas, vt porcos, paui; implacabilis iras
Iudicis, & flammas Erebi, mortemque timebo!
O exspes timor ! ô mortis timor improbe ! nunquam
O! nunquam, licet Infernum, flammasque merentem,
Huc adige : en contrà patriæ pietatis imago
Me propè defectum recreat, [f] *firmâque fouet spe:* f Spes.
Nec tantum, oblitus reliquorum, [g] *ada mabo Parentem!* g Amor.

IN MANNA, ET AQVAM EX PETRA FLVENTEM, FIGVRAS AVGVSTISSIMÆ EVCHARISTIÆ.

Magna (fatebor enim) tua sunt miracula, Mose,
Cùm tibi de cœli fornice Manna pluit.
Deque petrâ saliente sitim restinguere riuo
Gesta manu, gemino verbere, virga dedit.
Sed nihil ad præsens, quo panis imagine clusus
Et cibat & potat pectora nostra Deus.
Quò trahor? O rerum facies mirabilis! hocne
Prodigio cœli Curia maius habet?
Quem neque circuitu immenso comprendere mundus,
Mundorumque decem millia ferre queunt,
Integer & modico panis comprensus in orbe,
Pectoris humani viscera totus init.
Victa iacet natura: stupent elementa: tremiscit
Mentis inops animal: cœlica turba riget.

IN

IN EIVSDEM EVCHARISTIÆ DONATIONEM

ΘΑΥΜΑΣΤΙΚΟΝ.

HVI! machinator molis Olympicæ,
Igni corusco nubila diuidens,
Incomprehensum Numen orbi
Triticeo latet hîc in orbe!
Hui! stante cuius nube supercilI
Cæli tonantis vastificus fragor.
Percellit aures, fruge vescâ
In stomachum subiturus hîc est!
Manhu! quod istoc philtron amabile!
Manhu! quis istic potus inebrians!
Manhu! quis istas criminosis
Terrigenis epulas adornat!
Hoc esculentum farre sub extero!
Hoc poculentum fruge sub aridâ
Mortalium dignate sordens
Christe lutum, miseratus offers!
Homone, labes immiserabilis,
Edicta rumpens cælica, munerum
Obliuiosus, pestilensque
Cæli epulum rapere occupabit!
Tellus profundis icta stuporibus,
Altique ciues ætheris incolæ,



Penè impotentis hæc amoris
Attoniti reputate monstra.
En æqua Patri progenies Deus
Deo minorem se gerit, ac cibus
Descendit humanos in artus,
Nec scelerum fugit officinas.
Hæc tanta sacro digna silentio
In semen Adam futile, symbola
Amoris immensi, stupendo
Sunt potiùs veneranda cultu.



IN VNDECIM BEATORVM VISA IN COELIS DOMICILIA.

QVid mihi, ait Dauid, cæli quid in orbe repostum est?
Quidue suo terra in gremio complectitur, æstu
Tam feru ente potens, adeoque tenaciter hamans,
Vt me ab amore Dei longè rapiatque feratque
Transuersum? ecqua mea est spes & suspensa cupido?
Num Dominus, mea quē penes est substātia? Quas! ô!
Quas mihi condit opes! ô! quæ mihi regna! quod æuum!

Quæ

Quæ decora! ô! quod delicium! quod nectar adornat?
Ille suum Numen timidè venerantibus, ingens
Occulit in cœlo, raræ dulcedinis vber.
Cerno voluptatum torrentia flumina, cerno
Instructos homini, regni immortalis honores,
Cerno modis condita nouis noua fercula, cerno
Purpurei musto spumantia labra cruoris.
O recreans vegetansque meæ penetralia mentis
Propinate calix, quàm rarus es omnia supra
Pocula! inexhaustas æterna in sæcula cerno
Perpetuæ vitæ scatebras. Quæ dum omnia lustro
Quà finit ingenij infelix angustia, tabet
Penè meum mihi defectâ cum carne liquens cor.
Hæc Dauid, bona cum tacito cœlestia sensu
Versaret. Sed enim memori dum pectore tantum
Ardua Diuorum pertracto palatia visu,
Multiplicesque pererro locos; vix conscius auræ
Vitalis, variâ attonitus regione locorum
Hæreo: sed quia susceptum me abrumpere cursum
Dedecet, in mediaque via subsistere turpe est,
Aura mihi dum vestra fauet, perrumpo viam vi.
Ecce autem volucris videor tellure relictâ
Aëra per purum ferri, camposque liquentes
Aetheris, ac rutilâ cælorum in parte reponi;
Vnde oculis lucem insuetam mirantibus horrêo.
Vt tamen hic ad me redeo, sensusque recepto,
Attonitosque oculos, paulatim abeunte timore,
In diuersa fero; quantum mutatus ab illo

Iam videor, vanâ qui vanus in vrbe moratus,
Et fragilis luteâ detentus imagine mundi,
Mente per æthereas errare licentius auras
Vix poteram, tritosque hominum rellinquere calles.
Nunc sublatus humo, cœli per aperta, malignis
Nunquam aliàs visa in terris spectacula cerno,
Quorum vel lux, vel nouitas, oculosque, animumque
Percellit stupidos nouitate, at imagine lætos,
Quò-me-cumque fero visu: namque arduus infra
Angustarum humiles terrarum conspicor arces,
Et mare non spacio ingenti, tumidoque fragore,
Quale homines clamant vada præter feruida vecti,
Sed parui in speciem stagni, tenuisque paludis.
Circum autem igniferos orbes, & lucida templa
Ætheris, ac toto radiantia sidera mundo,
Quæque suis discreta locis, non qualia cerni
Terrigenis, aut quanta solent, sed maxima certo
Et propiore oculo intueor. Procul este profana,
Este procul tenues curæ, procul este leues spes,
Nec me aditâ reuocate viâ, cœlique recessu
Multiplici, quem horam ad mediam felicibus ausis
Ingredior ducente Deo: stat inire locorum
Quidquid ibi est, penitusque domos tentare repostas.
Ast vbi sum? quid ago? quis me impermissa videndi
Pulsat amor? quò me rapit inconsulta cupido?
Oblitusne mei tanto in discrimine, sedem
Solis, inaccessam lippis, & inhospitam inerti
Lucem oculo tentare ausim, cui lippit inersque

Est

Est oculus? Retrocede anime à penetralibus, atque vt
Fallat te incautum pietas tua, prospice: namque
Obtundit tibi sol oculos, hebetatque videndo,
Ne sanus perferre queas, oculoque tueri
Integriore illam lucem, sine fine, sine ortu,
Lucem illam, vnde suum ducit iubar auricomus sol,
Lucem oculis incomprensam cœlestibus. Ohe!
Progressum satis: hìc potiùs vestigia fige,
Vnde tibi Diuûm prætenta palatia lustres.
Parco, ne mortalem hebetet lux plurima visum.
Principiò, quàm longè oculos intendis, & ora,
Quà latè vndantem dant sparsa incendia lucem,
Ecce procul solido ex auro radiata renident
Atria, quæ volucres stipant sine corpore mentes,
Quarum qui medius micat, elucetque decorus
Pectoris effossi latebris, manuumque, pedumque,
Est Deus, humani generis qui victus amore,
Humanam in terrâ speciem, formamque recepit,
Iamque triumphator solio cœli insidet aureo.
Quàm longè latéque tui tentoria regni
Christe patent! tanta quis me, quis in arce repohat?
Quis verò, tenui qui proximus interuallo
Imminet ad læuum gemmâ sectoque elephanto
Insignis thronus, accinctus circùmque supraque,
Spiritibus rigidis mirante stupore? quid hæreo?
Hoc Superûm Regina throno venerata recumbit:
O decus! ô columen Diuûm omnium, & inclyta cœli
Gloria, quæ totis tibi par est Regia terris?

 Tertia

Tertia quæ porro? quæ quarta sedilia visus
Incurrunt, capiuntque meos? agnosco: Petrumque,
Quemquondam ad terras obuerso vertice robur
Quad rigidùm extītis pedibus, palmisque reductis,
Ad cælum tulit affixum, hîc in sceptra repostum
Adspicio. Quem te memorem Petre nobilis hamo!
Squamea qui pelagi portenta exosus, & artem
Patriam, adhamasti tam dextrè cœlica! Paulus
Proximus hæc (paruâ spacij vix parte relictâ)
Regna tenet, non illa truci regnata Neroni
Regna, sed æterni decoris fœcunda, bonorumque
Omnium: O immenso rarum decus addite cœlo
Paule, mihi hoc vnum scitanti edissere: nunquid
Hoc erat, hoc toties totâ quod mente petebas,
Dum celerans iter, & socios hortatus, auebas
Lætus abire fugâ, ruptisque emergere vinclis?
Hoc erat, hoc calidum in calido tibi pectore votum
Feruebat, præquàm feruens in corpore sanguis.
Hinc sacrum vt caput insonti à ceruice recisum est,
Mox cruor admistus lacti, mox fontibus vnda
E tribus emicuit salientibus excita venis.
Parce, precor, precor hûic tanto indulgere volentem
Hospitio, regnoque tuo retinere morando,
Paule Dei interpres: nec enim mora libera, tantùm
Cùm superet regionis adhuc cælestis obire.
En mihi, non procul hinc, gemmis opulenta quaterno
Ordine se attollunt solia in longum vndique fului
Inuestita auro. Quibus, ô! quibus ista parata

Stant

Stant decora? ha! video: dextrâ, læuaq; recumbunt
Quos Galilæa tulit Tellus, Zebedæides ambo,
Ambo annis, ambo crucibus, constantibus ambo
Præstantes animis: namque hic sua colla securi
Herodi truncanda dedit: feruentis aheni
Alter inoffensus flammasque oleumque subiuit.
Proxima verò tenent non inferiora sequuti,
Ille sui spolium nudati corporis altè
Ostentans, tardo releuatus pondere terræ
Bartholomæus, & hic duplici de nomine Thomas
Didymus, ardentis fidei qui flammeus æstu,
Molliit egelidum Tanaim, & possessa pruinis
Arua, nec Indorum verbis inflectere corda
Destitit, & Christi leges vulgare monendo;
Donec ab infido non fictâ fraude Tyranno
Oppressus, letalem hastam in pulmone recepit,
Arripuitque locum solio quod conspicor. Illâ
Cæli autem de parte, oculos quà intendo, coruscat
Lucida in immensum, venerataque nomine duplex
Regia, mortales operas, quamcunque magistrâ
Barbaricaque manu positas euincit, inumbrat,
Ludificat: sed enim quibus est regnata? Philippo,
Iacoboque, quibus pro martyre morte, dicata
Iure dies hesterna fuit: namque alter alumnus
Bethsaidos, cùm sub Christo tolerare magistro
Militiam, pondusque Crucis didicisset ab annis
Nunc tribus, & supero Patris omnipotentis in orbe
Mœstior audisset fando iam tum esse paratas
Multiplices, pro multiplici Diuûm ordine sedes,

Vt

Vt primùm Scythicæ rigidas Mæotidis oras,
Euxinique sinus, & Taurica littora sanctos
Imbuit ad superùm cultus, Diuumque timorem;
Hierapolin Phrygiam cælo maturus iniuit.
Hîc, mora nulla, cruci confixum saxea texit
Telorum seges, atque animam cæli intulit aulæ.
Iacobus lapides inter, perque aspera saxa.
Ex altâ in Solymis præceps deuoluitur arce
In medios populos, & fracto crure recumbens
Orat adhuc, sed pressa graui sub robore mala
Vtraque sanguineum dispergit in ora cerebrum:
Mens victrix cælo potitur, regnoque triumphat.
O bene fortunati ambo, quos mors breuis æuo
Terminat angusto, æterno vt felicitet æuo:
Quos terræ implicitos miserando carcere laxat,
Cælorum vt latè dominos, mundique potentes
Constituat media inter diua palatia Reges:
Quos malè præcipiti lacrymarum valle solutos
Ponit in excelso, super ardua cælica, monte,
Monte medullato, saturo pinguedine monte.
Sed quid ego hæc autem, nunquam euoluenda virorum
Vllorum ingenijs linguisque, reuoluere tento?
Labitur intereà tempus. Quin ocyus vltra
Progredior? neque enim hîc patitur consistere mentem
Cælorum peragrare locos obnoxius ardor:
Nec prius absistam, certo quàm ducere visu
Sit licitum Athanasi imperium, sedemque beatam,

Cuius

Cuius honoratos obitus Ecclesia festo
Per terras hodie cultu instaurauit. At vltrò
Ecce petita oculis apparent atria: Sunt hæc
Athanasi, tua regna? tuæ tot turribus arces?
Ista tui spacia imperij? tam ditia? vasta?
Splendida? tam secura metus? tam libera mortis?
Non ea Alexandria tibi, non talia quondam
Regna dedit, cùm Arij iras, odiumque, minasque
Defugiens, Treuiros peteres, exsulque profundæ
Speluncæ in penitas latebras abstrusus ad annos
Sex ageres: cùm furtiui insimulatus amoris,
Fœmineum stupro violens fœdasse pudorem
Vrbe Tyro hæreticas infamarere per artes:
Cùm te multa minax aduerso fluminis alueo
Obuius à diuo Iulianus Apostata cultu
Vndique vestigans ad vincla, necemque rogaret:
Quatuor exactis cùm denique mensibus ortâ
Tempestate nouâ, patrio tegerere sepulcro.
Vicisti tamen hæretico de milite, victorque
Illatus tandem in regnum cæleste, triumphas.
Nos, quibus angustam in terris Deus annuit vrbem,
Christicolæ, hîc alia ex alijs in fata vocamur:
Continuæ nos insidiæ, nos hostica fraus, nos
Vis, nos crux, nos trux furor, & ferale venenum
Hæreseos sine more premunt, instantque ruinam.
Da Diue auxilium, da triplice robore pectus
Munitum, da consilium, da vota, fauoremque,
Vt quod inoffensis animis, quod fortibus ausis,
Quod vulgo, quod nobilium spectante theatro,

Delecti

Delecti populi proceres, sanctusque Senatus
Moliri excidio hæreseon cœpere, beato
Magnanimi progressu æquent, ac fine coronent.
Intereà cœlum egredior, terrasque reuiso,
Quando hodie neque o per cuncta palatia diuûm
Ferre oculos: satis esse decet pulcherrima iunctim
Quatuor ac septem reliquorum ex ordine visu
Hausisse. Ista meis altè defixa manebunt
Sensibus, ingentesque animos torpentibus addent.
Parcite mortales cœli super orbe moranti
Plus nimio: nec enim variâ regione locorum
Tantorum auelli facile est. Iam denique doctus
Experior, quæ de cælis oracula Dauid
Fatidicus voluit mandata nepotibus, esse
Vera: nihil nostris ducendum optabile terris
Præ cælo. Ergo animos cælo, ergo pectora cælo,
Ergo preces cælo, vota ergo & lumina cælo
Defigamus: ibi fas longa capessere regna.

IN BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ LAVDES PROLVSIO.

MIrerne Zeuxis expeditum pollicem
Delineare viuido
Colore læues per tabellas, bellicos
Vultus, & vuam purpuræ
Certantem? An illud licio & subtemine

Vix

Vix perspicace linteum
Clari magistrâ Parrhasi textum manu?
An verò Apellem Cyprio
Scorto per ora Graia latè nobilem?
An vel toreuma Phidiæ?
Vel efficax cælum Myronis marmore
Deos, virosque ponere
Solertis? Artes non inertes acriter
Sensum stupentis attonant.
Si namque Graios entheauit ingeni
Vis rara; quin & me entheet?
Tàm concinentem penicillis indolem,
Doctasque Pictorum manus,
Cælumque Scalptorum artifex, suâ (haud nego)
Carere laude dedecet:
Namque æmulantur proximè Numen. Mihi
Sed id indolet: tot Dædalos
Suis iniquas ingenIs, & impares
Legisse, quêis illuderent,
Substantias. Quàm verò nati prosperis
Forent dierum circulis,
Intaminatæ si Mariæ Virginis
Vultu exprimendo seduli
Primùm, fideles imbuissent dexteras.
O! si Myronis, Phidiæ,
Scopæque fata mutuum darent stylum!
Si nunc Apellis, ParrhasI
Zeuxisque diues artium forem! tibi,
Salo, soloque, & æthere

Vocata

Vocata Princeps omnium fidelium
Benigna votis, & Parens
Maria, terror inferorum; non ego
(Sim tiro quanquam inglorius)
Afferrem honorum carminumque pessima.
Quid? ergò quod nec Parrhasi,
Nec Phidiæ, Scopæque, nec Zeuxis manu
Solerte vates glorier,
Sanctis Mariæ temperabo laudibus?
Auerte cælorum Artifex.
Tuamne Sponsam tot, per ambitum, foris,
Intusque, candicantibus
Titane plus ac Noctilucâ, gemmulis
Discriminatam, & aureis
Monilibus grauem, ac decenti syrmate
Multi coloris, ordini
Cælestium spectabilem, domum tui
Soliumque amoris, auream
Amoenitatem, ocellulum, labellulum,
Pectusculum, columbulam
Tuam, sileri laude inornatam suâ,
Obliuiumque carpere
Mussantium chartis poëtarum sines?
Chartæ loquaces versibus,
Altéque personantium torrentibus
Orationum, propriæ
Infirmitatis ac pudoris conscia,
Esto; silescant paululum:
Querentur altis interim fragoribus

Prela

Præla; insolens silentium.
Rerum ergò Princeps autor omnium Deus,
Quod in tuæ spem gloriæ
(Te namque tangit laus canenda Virgini)
Emolior, dux promoue.

IN SCALAM IACOB, COELI PORTAM AC DOMVM DEI.

GENESIS 28.

Isacide quid hias, diuersaque brachia ducis
Attonitus, dum te saxea sponda tenet?
Nitentemne Deum scalarum ad summa, chorumque
Indigetum, scansim qui redit, itque, stupes?
Obstupuisse vacat quæ suspicis hactenus: istæc
Nam loca, si nescis, sunt habitata Deo.
Terribilis locus iste: nec est, vbi lumina sopis,
Altera quàm Cæli Porta, Domusque Dei.
Vnde (fatebor enim) quòd hians, diuersaque ducens
Brachia, suspicias, debita causa subest.
Et verò, si, quod sub imagine delitet, hauris;
Vt magè suspicias, altera causa premet.
Qui tibi namque Deus scalarum à culmine spondet
Hæc, quibus indormis, hospita rura dare,
Virginis ille sinu (scalis melioribus) oras
Mortales aruum per genitale petet:
Ac prono in specus Infernæ caliginis Orbi

Ascensu faciles ponet ad astra gradus.
Ascensuq; gradum cœli superare timemus!
Ecce fauent Scalæ, Porta, Domusque Dei.

IN FISCELLAM MOYSIS.

EXOD. 2. CAP.

ASpicis vndantem Nili septemplicis alueo
Fiscellam? Mosen continet illa sinu;
Quem sorti expositũ fluuijq; rapacibus vndis
Nutrijt, in patris, Regia nata, domo.
Is Phariam, quæ Iacobidas violẽta premebat,
Mersit Erythræo funditus amne, manum:
Hic patriam releuans gentem, rerumque ruinam,
Diuinâ solitum sustulit arte iugum.
At Pater omnipotens alium dedit æthere Mosem,
Quem Fiscella tulit Virgo Parensque sinu.
Qui varijs expositus aquis, vitæque procellis,
Rite triumphatis sospes abiuit aquis.
Ac triplicem, qui nos dire premit improbus, hostem
Subdidit abrupto, vindice morte, iugo.
Nosque suos fratres, Moses velut alter, iniquo
Seruitio eximios sistet in orbe nouo.
O! quàm te memorem, Fiscella beata, parentis
Nata tui Mosæ Virgo eademque Parens!



IN

IN IRIM COELI A NOEMO VISAM, B. VIRGINIS FIGVRAM.



Oeme per rutilũ mirantia lumina cœlum
Quid, velut attonitus de nouitate, iacis?
Anne refulgentem quasi mille coloribus arcum
Imbriferi nimbi symbola certa vides?
Hoc vnum est: cùm vastifico te namque per arcam
Diluuio incolumem vellet abire Deus;
Hanc priùs explicuit croceis in nubibus Irim,
Quæ post diluuij tolleret vna metum.
Ista quidem (nec enim dubito) tibi dicta salutis,
Solis ab aduerso lumine signa notas.
Nec satis hoc: eadem ipse tuos seruare nepotes,
Dum nouus Irim aliam sol creet orbe, iubes.
Ecce quod optasti priscis contingere seclis,
Hoc Deus, vt videant secula nostra, dedit.
En humiles Superis æterno vt fœdere terras
Vinciat, Irim aliam cœlicus orbis habet.
Iri decus cœli, vario quam pingit amictu
Iricolor Virtus, funera nostra caue.

IN VELLVS GEDEONIS.



Vid Gedeon Madianæis iaculate pauorem
Luce, tubâ, vrceolis, vellera ouilla stupes?
Despicis humecto lacrymatũ in vellere rorẽ,
Quo circùm sitiens area tota vacat?

Hoc signum canit Israël, te principe, victi
Laturum eximias hostis ab ense manus.
Vicisti: fugit Madian exercitus: umbra
Est dilata: micat lux: nihil ergò stupe.
Immò stupe lucem potiùs, qui fixus in umbrâ,
Roratum madido Vellus ab imbre stupes.
Suspice candidius lanato vellere Vellus
Virgineum, diuo quod modò rore tumet.
Hoc tibi portendit nullo violabile casu
Symbolon, æthereo munus ab orbe datum.
Vt nosset tua posteritas se Virginis almo
Rore infernales stinguere posse rogos.

IN VAGINAM ANGELI PERCVTIENTIS POPVLVM IVDÆ.

EN scelerum latè Iudæa per oppida vindex
Angelus ense truci proxima quæq; metit.
Cælestis subit hic interceditque furori
Iesseïdes, populi nomine fata rogans.
Me me adsum qui feci, in me conuerte flagellum
O Deus, innocuum neu pete vulgus, ait.
Ille sub hæc: Iussus vaginâ includere ferrum
Parco: sed hic stragis non tibi finis erit.
Vulnificus maiora chalybs meus ebrius olim
Orta scelestorum clade fluenta dabit:
Dum potior vagina, sacro compacta cruore
Virginis, includat, qui fuit antè, Deum.
Virginis en hodie vaginâ includitur ensis
Diuinus: quid, adhuc quòd metuamus, erit?

IN


IN ILLVD EVÆ:
Exoriare aliqua ex nestris tandem ossibus vltrix.

LVsa venenato mali fallacis amore
Eua, mali vindex vt tibi surgat, aues?
Maius aues quàm quisquam hominum promittere posſit:
Namque Dei verbum nil violare queat.
Ille, vbi tu morsu malum violaueris, inquit,
In mortem æternam non moritura rues.
Tu verò tenui mortis discrimine, mali
Capta malo, spretâ lege, Deoque, peris.
Quis tibi nunc surgat vindex? spes vindicis exspes,
Si censeri hominum more modoque voles.
At fortaſſe Dei referes te ad cerea flecti
Viscera: Vincor: habes quæ nec habenda putas.
Hinc spes magna, tuis vt surgat ab oſsibus Vltrix,
Quod petis, & voto fausta potire tuo.
Ecce tuis felix exsurgit ab oſsibus Vltrix
Virgo; parens Ioachim quam dedit Anna viro.
Hæc Vltrix vltore suo de sanguine natum
Vltorem (reparet qui tua damna) dabit.
Proìnde sibi coluber, qui teque tuosque nepotes
Impulit in damnum, noxia damna tulit.
I posthac sinuose dolis fallacibus Hydre,
Eua tende dolos, deperiture dolis!
Ecce tuas fauces impreſſo ter pede calcans
Vltor ab Vltrici natus, in igne premit.

IN RVBVM ARDENTEM B. VIRGINIS TYPVM.

VT Moses procul aspexit flammescere dumum,
Nec redigi in cineres; quid notat istud? ait.
Quid signent non visa priùs miracula, visam:
Nam neq; naturæ concinit istud opus.
Dixit: ab aduerso properè vox reddita dumo
Excipit: huc, Mose, progrediare, caue.
Siste gradum: depone pedum lutulentus alutas:
Nam sacer est, quò te fert tua planta, locus.
Ille ego sum Deus, & patrum spes firma tuorum,
Qui tibi solicito, dumeo ab igne loquor.
Parce, precor, Deus, incauto: temeraria palmis
Ora tegam, Moses obstupefactus, ait.
Nec mora: responsum geminauit ab igne Dei mens:
Arrige, Mose, aures ad mea verba tuas.
Isacidæ quondam Pharij iuga dira Tyranni
Te duce, disijcient, ac noua regna petent.
Pòst alius dabitur Ductor (mea maxima Proles)
Qui simul ac vteri claustro animatus erit;
Non magis intactæ violabit viscera matris,
Quàm violat præsens ignea flamma Rubum.
Hæc tibi quæ, Mose, Numen promiserat olim,
Nec dederat; nobis illa videnda dedit.

AD



AD LABORES ET IGNOMINIAM A CHRISTIANIS PRO CHRISTO PERFERENDAM Zopyri Ethnici exemplum.



Ecquis apud Superos longis intermina seclis
Tempora prolatare neget, regnoque beari
Perpete? sit nostrûm quisquam qui tanta recuset?
Nullus erit, credo: nec fas: ita peruigil ambit
Vsque bono inclinata suo natura quietem
Irruptam. Quantùm sed gestit amica resolui
Delicijs, tantùm fugit auersata labores,
Pœnarumque leues sensus, hinc mollia corda
Christiadûm (agmen iners bello, metuensque laboris)
Nixa oras cœli fugientis prendere, frustra
Secum multa gemũt, & inani hæc murmure mussant:
Heu! tot voluendos casus! heu! tot mala fessis!
Heu! tantas superesse cruces! vox omnibus vna est:
Illecebras repetunt: respectant terga: reflectunt
Lumina ad Ægypti cæpas, ollasque, lacusque
Cœnosos, oblita epulas, & pocula mensæ
Diuinæ, celebres Victorum oblita triumphos.
Quid fremis ô ignaua cohors, cæptamq; retractas
Ire viam, retroque iterum conuersa resorbes

Turbida confusæ Babylonis *flumina? quorsum*
Tantùm adeò tibi cæpe placent Ægyptia? nunquid
Vana tuos ludunt vacuos insomnia sensus?
Ecce potes secura doli, secura pericli,
Mortalisque exsors precij (quia pauper) in æuum
Æternum saliente sitim restinguere lymphâ:
Tu tamen infelix, leti discrimine paruo,
In præceps ruis, vt limosam arente paludem
Fauce trahas. O curua hominum decliuaque terræ
Corpora, cœlesti sic vos auertitis orbe
Certa mori: nec iam vestri miseretque, pudetque?
Ecquid ad hæc, animi ô resides, obiecta? siletis:
Siccine? surgentes mussantûm dicere contrà
Præcipio fremitus: vestigia pressa retorto
Vertice nos retro legimus, quia callis ad astra
Arduus est, atque in cultu vitæ horridæ, & escâ
In tenui, labor. In tenui victuque, viâque
Virtutum, labor est: neque enim nescimus: at illum
Pensat in æterno tenuis non gloria regno.
Ecquid adhuc superat quod vos remoratur? inanis
Fortè pudor: medio siquidem bacchante virorum
In cuneo, & mundo furialibus vndique monstris
Dementante, pares non exercere furores
Bacchariue, pudet. Pudeat mendacibus vmbris
Lætitiæ, infernas vobis accersere flammas.
Vultis in hoc caueæ consessu exempla malorum
Proponi, adducique viros, qui propter inanem
Gloriolam, populi & procerum fallacibus auris
Elusi, quondam ingratos adiere labores?

Vnicus

Vnicus, vt multorum ineam compendia, mille
Instar erit, qui degeneres virtute priori
Pertæsosque viæ stimulis haud mollibus hinc iam
Vrgeat, vt constante animo grauiora capessant.
Huc oculos, huc arrectas aduertite mentes:
Zopyrus en frustra querulus, certusque dolorum, Proponitur Zopyri in inferno æstuātis figura.
Quos sibi pro vanâ morituri Principis aurâ
Ipse suis quondam impensis peperitque, volensque
Sustinuit, spectantûm inter se conijcit agmen.
Os habitumque viri priscâ sub imagine visu
Perlegite: en toto laniatum corpore, crines
Abrasum, truncas inhonesto vulnere nares
Informem, miserè populatum tempora sectis
Auribus, Inferni implacato in gurgite, iugis
Flamma renascentes vrit crudeliter artus.
Zopyre, dic primâ repetens ab origine trunci
Corporis, ac tanto fœdati vulnere, flammâ
Te mediâ circùm pascente, edissere causas.
Audite, exiguam vobis attollere vocem
Ecce parat: perge obductos vulgare dolores
Zopyre: perge, auido tantùm ne subtrahe vulgo.
Verba secat dolor, & malas frustratur hiantes.
Quando ergò nequeunt imis erumpere fibris
Verba foras: vos hæc, iuuenes, ab imagine rerum
Discite contextam seriem. Quo tempore Persa
Miles in Assyrios impingeret agmine muros,
Dariusque frequente diu Babylonia circùm
Cingeret obsidio nequidquam mœnia; Ductor
Zopyrus hic bellax, illis qui fortè diebus

Dario ante omnes fidus comes ibat in armis,
Vt vidit fluere, ac retro sublapsa referri
Omnia in hostiles palmæ tentamina muros
Admota, & fausto Assyrios turgescere Marte,
Nec posse assiduo perfringi mœnia nisu;
Consilio versare dolos aggressus, inussit
Impius hæc inhonesta suo crudeliter ori
Stigmata, compositâ mentitus vt arte, ferinos
Immanesque, initi belli pro laude, furores
Regis, & inuisæ simulacra tyrannidis, ipse
Se per & effugium, per & arma vltricia Persæ
Infensum Regi fallax simularet; eique
Exceptam insidijs Babylonem aperiret. Vt ergò
Vota viri caderent bene fortunatâ secundo
Euentu, scelus artificis cælatur: at ille
Multa malus simulans, lacerosque immaniter artus
Ostentans, mediâ sese Babylone ferebat,
Darijque animam morti execratus & Orco,
Cœpit eum insimulare palàm, dirisque grauare
Criminibus, fastumque, & non tolerabile pondus
Ipsius imperij, passim vulgare per vrbem,
Donec inextinctis bellorum incendia flammis
Plurima per vulgum spargens odia aspera verbis
Conflaret, sic Assyrijs res credita; Persam
Hac Syrij ratione suis legere maniplis
Ductorem: cuius delusi fraude, superbum
Darij subiere iugum, frenosque. Quid istis
Zopyre vane dolis, quid venabare? fauorem
Applausumque Ducis. Fauor en tibi partus, & auræ
Vulgares.

Vulgares. Sed enim tantis quæsita periclis
Vulneribusque, quid hæc tandem peperere? Volucres
An leti tardare alas potuere? perennesue
Haud moriente tuo prohibere à corpore flammas?
Nil minus: at crucibusque cruces, stimulisque dolorū
Ingeminant stimulos, rapidisque incendia stipant
Ignibus, Infernique magis sub gurgite mergunt.
I nunc, ingratos perfer pro laude labores,
Indecoresque ignominias, & stigmata, vile
Vnius ob studium miseri mortalis, inure
Artubus, ac densos infer te, irrise, per hostes.
Quàm fuerat melius fluxæ nil laudis egentem
Te vigili ad Diuos curâ aspirasse fauores,
Imbellesque iras hominum, & conuicia læto
Seruitio cultuque Dei tolerasse, tuamque
Effudisse animam vitæ cœlestis amore!
Felix morte tuâ, neque in hanc feritatis abyssum
Flammarumque globos implacatasque cohortes
Interitus, (quibus æternus moriere, renatâ
Morte, exsors mortis, diro sub Rege) fuisses
Asseruatus, vt experiens, tua funera, sentis.
At stares cœlo incolumis, Phœbique coruscum
Æmulus æquares iubar, & splendentia latè
Sidera conspicuus rutilo candore præires.
Zopyre vera loquor? mutisne? an denique cæcis
Ex oculis discussæ abeunt caliginis vmbræ,
In mediâ quamuis moriens caligine viuas?
Te, mala quæ pateris, subigunt hæc vera fateri,
Quáque licet, velle à culpâ damnante regressum,

At

At serò. Tunc debueras, tunc ista decebant,
Cùm reuocare pedem, cum fas occurrere pesti.
O miseri quos non amor Omnipotentis, & alta
Certa manens fortes athletas gloria cælo
Traxerit ad vitam vitæ discrimine. Gens ô
Infelix, cui te exitio mortique reseruat
Impermissus honor, ventosaque gloria, tanto
Quam venare animi studio miserum inter amorem
Vitalis mortis, Superûmque vocantia regna!
Ergo iuuentutis flos ô delecte, sequaci
Ne quatiare metu, si quis de tramite recti
Lenta potens mundo reflectit colla, viâque
Ætherea molli diuertitur illice: contrà
Tu magè diuersus, Christi quà semita monstrat,
Irreflexo animo fortis vestigia fige:
Mitte leues decorum titulos, inhonoraque famæ
Nomina, quæ clarere putas interlita fuco.
Sed tua si veram suspirant viscera laudem,
Suspirent quam non æterno secula lapsu
Voluenda interimant, vllo nec tempore carpant.
Hoc opus: hoc studium: causa hæc est digna labore.

In Zopyri effigiem propositam Græcè, & coniecturas de ipsâ factas.

Miratur Graio Rhetor facundus ab ore
Qui vestros (celebris clarissima lumina Belgi)
Ante oculos inuisam aliàs suspendit habendam
Hanc inter mediam flammarum incendia formam,

Tres

Tres iuuenum hoc adeò numeroso ex ordine tantùm
Surrexisse, nec ad positi certamen honeris
Pluribus incaluisse animos. Ne verò Pelasga
Lingua minùs percepta, aliquas offenderit aures,
Vno ego concisè Latio rem carmine signo.
Ille, videtis à in aduerso quem schemate flamma
Ignis edax toto laniatum corpore torret,
Quem dolor ob cæsas vtrimque ferociter aures
Et labia, & truncas inhonesto vulnere nares
Vrget ad ingentes frustra clamoris hiatus,
Cuius adumbratæ referat simulacra figuræ,
Postulat Æolico qui pulpita personat ore.
Si quis, vt ambages, hanc icona fortè resoluet
Oedipodionides, quæ sit, data laurea circùm
Ornamenta caput referet, prendetque coronam.

In commentitias duorum priorum coniecturas.

Certantûm effigiem secretam aperire duorum
Quæ sibi cuique animi fuerit sententia, dixit.
Ille prior, sub propositâ spirare figurâ
Ditem epulo & luxu flammæ Infernalis emacem
Inquit: at expressæ prolator imaginis, ignêa
Abstrusam in formâ rem coniectasse, refellit.
Namque epuli, luxusque sequax licet ardeat ignî,
At non stigmaticus, qualem hæc notat esse figura, est.
Alter ab Andini fidentior ore Maronis
Hunc inter flammæ sinuosa volumina censet
Deiphobum: seseque tenax his ipse tuetur:

Atque

Atque hîc Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
Hæc etiam malè posterior: quod certior artis
Historicæ extremus texens penetrale docebit.

In tertij rectam coniecturam.

Quàm vereor ne longa moræ fastidia vestros
Irrepant animos (nostræ ô procliua palæstræ
Lecta virûm iuuenumque manus) namq; exiit horæ
Iam medium, captus dum circumuector amore
Singula, quæ simulacra tholo pendentia tangunt.
Ergò mihi Latijs numeris intactus abibit
Tertius ille, cui victricis præmia linguæ
Laurus inauratis dignissima tempora circùm
Impedit, adlambitq; comis? Quid cætera prosint,
Quæ prælibandi prolusa proœmia finis
Effluxere? nihil. Vestrum ergò reposco fauorem,
Principioque pares animos, compendia rerum
Dum sequor, & breuis ad finem aspirare laboro.
Hac igitur mediâ in flammâ sub imagine formæ
(Tertius vt verè Graio coniectat ab ore)
Delitet ardenti dilectus amore Dario
Zopyrus ille Ducum flos præstantissimus, ipsi
Seu fera ad arma manus glomeranda per agmen,
aperto
Marte, sub illustris belli seu fraude paranda
Furta forent: tantùm sorti fuit æquus vtrique.

Hinc

Hinc bellacis inusta manent tot stigmata vultu:
Namque Semiramiæ ciuis Babylonis ab armis
Iuratâque fide, vectigalique Dario
Persarum Regi, pacta per fœdera pacis,
Promisso; cùm iam malè defecisset, eumque
Persa ferox circùm obsidio valloque teneret
Incassum (quia vis, artes, industria, spesque
Palmæ exhausta cadebat iners, nec iam ampliùs armis
Confisus; miles longo decedere bello
Contendebat) ad immensos procliuus honores
Zopyrus, impensos frustra tot adisse labores
Non tulit: at versare dolos aggressus, amicum
Regem adit, atque illi memorat, quæ pectore verset
Consilia, vt technis Babylonem aperiret & hostes,
Quos longo obsidio expugnare nequibat & armis.
Mox fraudem explicuit: compertâ fraude, Darius
Arrisit, placuitque dolus. Mora nulla, magistrum
Tonsorem alloquitur prò crimine Zopyrus, vtque
Labra sibi, & nares, aures que recidat, acerbo
Vt laniet flagro totos crudeliter artus,
Imperat: incumbit parens ad singula Tonsor.
Zopyrus indutus miserando hoc schemate, tanquam
Transfuga, cautus adit Babylona, foroque resistens
In medio, truncas nares ostentat, & aures,
Multa malus simulans, pectusque immane Darij
Incusans, qui se insontem, nec tale merentem
Supplicium, voluit tantas expendere pœnas,
Sic laniari artus. Et crimina Regis acerbans,

Discite,

Discite, ait, tam crudeli vos dedere Regi,
Qui nec amicitiæ parcit, nec fœdera seruat.
Talibus insidijs, mendaceque Principis arte
Credita res, captique dolis fallacibus omnes
Assyrij legere ducem (qui tela Darij
Frangeret, infesti viresque retunderet hostis)
Zopyrum: Is oblatum facili detrectat honorem
Sæuitiâ: contrà Assyrij clamoribus instant:
Obsequitur pressè, & ciuilia protinus audax
Agmina Ductor agit: portas egressus, in hostem
Trux iterumque, iterumque ruit, palmãque reportat.
Donec ei cæcæ patuerunt libera fraudi
Ostia, conceptisque dolis: vbi ciuica namque
Agmina securos caperent improuida somnos,
Accitum patulâ suscepit in vrbe Darium,
Persarumque aciem (multorum millibus antè
Concisis) vnde humanos indeptus honores,
Æternos ruit infernæ fornacis in ignes.
Nunc, age, fare, quid ingratis exercite bellis
Zopyre, quid tibi tandem aditi peperere labores?
Quid quæsita tot impressis ingloria plagis
Gloria? quid fluxi, Regis mortalis, amores?
Quid vani æterno venales igne fauores?
Quidnam illa excisas infamis fama per aures
Profuit? heu! aliud nil quàm immortalia fumi
Mista globis tibi flammarunt incendia; iugique
Igne recrudentes inferni in carcere flammas.
Quàm fuerat satius tantos te adijsse labores
Ob cœli immortale decus, Superûmque fauorem!

IN

In Imaginem Christi flagris, virgisque concisi.

Qvas adÿt vultus maculas, quæ vulnera, quodque
Dedecus, exsectas inhonesto vulnere nares,
Deformis, geminasque aures truncatus ob auram
Vulgarem, vniusque viri mortalis amorem
Zopyrus; haud incerto oculo vidistis, & aure
Hausistis: tacito vos nunc expendite sensu,
Num deceat puduisse hominem, miserabile mortis
Mancipium, flammis torquēdum horrentibus antri
Infernalis, vbi posuere cubilia luctus,
Nulla adeò tormenta pati, tenuesque labores
Detrectare Dei impensè deamantis amore?
Illiusne piâ deamantis imagine pasci
Ad lacrymas lubet? huc oculos conuertite: namque

Ecce homo: certè! hominem! non est huic forma: quid ergo est?
Monstrũ informe. nego: nam: Deus est & homo.
Est Deus! est homo! cur informis forma? reformat
Hâc hominem formâ, neu moriatur, obit.
Hui! Deus vt nequãq; hominẽ, ingratũq; reformet,
Induat hæc lepræ stigmata! cogit amor.
Omnia cogit amor: nos & cogamur amore:
Vis, crux, nex Christi sint ab amore leues.
Victus amore tulit tot stigmata Zopyrus: illo
Inferiora sequi nos, graue crimen erit.

IN ILLVD: Non hunc, sed Barabbam. IOAN.18. CAP. ET: Mendaces filij hominum in stateris. PSA.61.

LEctor, vt humanæ vergant examina libræ
Læuorsum, tibi nec sint bene fida, vides?
Entrutinæ Christum damnat lanx dextra: Barabbam
Dissimilem Christo, læua patella probat.
Is, Deus est, Dominus, Plastes, Sapientia, Cœlum,
Diuitiæ, Lumen, Gloria, Vita, Salus.
Hic, Dæmon, famulus, plasma, insipientia, limus,
Paupertas, tenebræ, culpa, ruina, lues.
Illi, immane tamen quantùm hic præponderet, amens
A trutinâ mundus ludificante notat.
Quàm vacui sensu decreta tenebrica mundi!
Quàm rationis inops, iudicijque chaos!
Ne mirere Iehudæi sub nomine, Mundum
Comprendi: Et Mundum subdola libra capit.
Scilicet ipse duas fallaci examine lances
Sustinet, hinc librans crimen, & inde Deum.
Nec quàm Iudæus, minus est examine rerum
Futilis, ad crimen dum male pronus hiat.
Quando igitur capitur mendacis imagine libræ
Mundus, ab hac pariter ne capiare, caue.



IN

IN ILLVD ISAIÆ 3. CAP. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion & ambulauerunt extento collo. &c.* Vbi superbiæ & curiosæ lasciuię debita pœna promittitur.

QVanta Deo detestatus (quo fœmina, Virq;
Semiuir exundāt geniosa per otia) luxus
Detrimenta ferat rebus cōmunibus, hauri
Lector, & in tabulis animi memoranda repone.
Ecce (ait Amosides afflatus Numine, propter
Mollitiem, & fusum sudante libidine luxum
Qui miseri populatur opes & scrinia vulgi)
Quòd gradibus quasi compositis, oculoque vaganti
Et nictante supercilio, fastuque superbo,
Stanteque ceruice, ac manuum per mutua plausu
Fœmineum genus in Solymis incesserit; illis
Indecori deforme caput Deus eglabrabit
Caluitio, cōptisque comis locupletia tollet
Ornamenta, capillares cum pectine vittas,
Reticula, vmbellas, spiras, caliendra, tiaras,
Smegmata, cerussas, calamistra, flabella, calyptra,
Armillas carpis habiles, habilesque lacertis,
Murenæque auri segmenta imitantia gyros,
Auratas digitis palas; summisque stalagnos
Auribus; ac raris pellucida cingula bullis,
Quique frequens torti per collum flexilis auri
Circulus extremo circùm de pectore pendet,
Ac stipata situ squallet quæ synthesis arcâ:

Corporibusque therıstra suis, pedibusque cothurnos
Exuet, & suaue halanti diapasmate plena
Vasa teret, tetrosque specus graue olentis odores,
Horrentesque pilis saccos, fletusque gementûm,
Vinculaq; & mortes Solymæam effundet in vrbem.
Talia fatidicus Vates quæ plena minarum
Verba iacit, num vanidico de pectore, Lector,
Hausta putas, ventisque leuem iactata per auram
Ludibrium? Nil tale velim te voluere sensu:
Namque Sionæis non vnquam credita muris
Singula quæ porrò ventura Propheta, fluente
Pro luxu elisit terrorum fulmina labris
Veridicis: Christi post aspera funera, lustro
Octauo, sortita suum sunt denique finem:
Cùm septemgeminis immissus ab arcibus Vrbis
Romuleæ, circùm densis accinctus ab armis
Flauiades Titus, horrentes rutilo ære cateruas,
Post arctum obsidium, queruli post saucia vulgi
Ora fame, in Solymæ penitissima viscera pressim
Impegit, Christique vltor, luxusque, merenti
Strage cruentauit proceres, populumque, nurusque
Et natas, natosque Sion. Nec tale, nepotans
Belga, reformidas de cælo expendere vindex
Supplicium, pro fœmineo, quo, degener ore
Naturaque viri, gaudes mollescere luxu?



IN

IN IDEM ARGVMENTVM
SANCTI CYPRIANI IVDICIVM.

Quid Cypriane sanctitatis nomine
Facundiaque nobilis,
Conuulnerauit clade funestâ gregem
Christo fidelem, septimùm,
Cùm sacra iura Punicis Præsul dabas,
Decio imperante Romulis?
An non inerte diffluens luxu, viro
Cum molliore fœmina?
Tuus ille sermo, dura quamuis, efficax
Mollire corda, quo graui
Lapsos ruinâ Christianorum è grege
Pœnos profana inanium
Ad tura Diuûm transfugas, in gratiæ
Clementiæque spem erigis
Et recreas, afflictionum principes.
Pessumdatis monstrans tubos,
Illustrioris auctoritatis notas,
Et veritatis tesseras.
Seris nepotum tradidisti seculis
Locupletis in testis locum.
Obtemperante namque Tonsoris manu
Corrupta, vt inquis, in viris
Barba eminebat: in procace fœminâ
Fuco illitus, non sanguine
Infusus in genas color, vana decus
Formæ exprimebat: post Dei

Manus, proterui, adulterati, lubrici
Oculi ciebant perditè
Libidinem: mendace pigmento coma
Imbuta luxum luxui.
Sioniarum filiarum comparem
Fontem ruinarum dabat.
Expende Belga tot cruentis hactenus
Attrite belli stragibus,
Quo fonte deriuata clades Punicos
Oppressit auersos fide:
Ac pòst propinquo prouidentior malo
Luxum insolentem defuge.

SANCTITATE VITÆ DEBELLARI HÆRESIM.

Portentosa petis fidei miracula, noctis
Et fumi-vendens Hæresis?
Quòd vanũ tumidũq; tibi caput atterat, audi
Miraculum vnum, & alterum.
Dum contra Arij errores & nubila, cœtus
Episcoporum plurimus
Nicæam, Imperij iussu, coïsset in vrbem
Spargente virus Hæresi;
Haud mora, Spiridion zelator & integer æui
Demissiore vertice,
Hæreticum cui ventosæ facundia linguæ
Sophiâque pectus arrogans
Insignem reliquâ de gente ferebat honorem;

Cui

Cui disputando cesserat,
Plurima Christiadûm Doctorum copia; non vi,
Non syllogismo plectili,
Non verbis de Rhetorices torrente fluento
Haustis, superbo aut spiritu
Aggreditur, sine fuco animi, sine fraude, legendo
Apostolorum Symbolon:
Seque triumphandum victori tradit, in ipso
Adstantium vultu, inquiens:
Dum mecum verbosa inita est contentio, verbis
Ego verba Rhetor reddidi:
Cùm verò Deus explicuit sua pondera verbo,
Linguæque robur addidit:
Victa Dei verbo ventosa infantia cedit
Inefficax obsistere.
Nec miraris adhuc palmæque remittis honorem
Obducta fumis Hæresis?
Audi aliud: mutire caue: nam fortius istud
Quod te domabit, alterum est.
Dum Constantinum quòd patria Numina sprësset
Sophi increparent barbari;
Accit Alexandrum qui frena sacrata tenebat
Antistes in Bizantio:
Cumque Sophis illi fidei certamina ponit:
Non abnuit: nuunt Sophi:
Qui simul ac in compositum certamen hiarent,
Præsul, silescant, impera t:
Ecce illi extemplò, visu mirabile, muti,
Vt squameum genus, silent.

I, pete Christiadum Fidei miracula; noctem
Fumumque vendens Hæresis.

B. PAVLI CONVERSIO.



Ras & enses funere spumeos
Intaminato Christicolûm gregi
Interminantem canto Saulum:
Vos placidis animis fauete.
Qui prouidentis Numinis in manus
Dat se regendum, totus & in Deum
Incumbit, aduersisque ab ipso
Rebus opem auxiliumque poscit;
Nunquam ille cassus spe cadet irritâ,
Nec vota surdis supplicia auribus
Commissa delusus queretur,
Totus eum licet orbis angat.
Quanquam Inferorum dira minantium
Contrà cohortes Lucifer efferat;
Insauciatum clade ab omni
Impauidus caput explicabit.
An talis olim rarum opifer Deus
Benignitatis non specimen dedit,
Cùm territatos in Damasco
Christiadas tremefecit hostis?
Horrebat agris densa equitum seges
Ductore Saulo funereas manu
Spirante cædes: iamq; portis
(Vt stabulo lupus) imminebat:

Quando

Quando ecce cœli de bipatentibus
Valuis, corusco nubila diuidens
Fulgore, stratum calcitrone
Christus equo pauefecit hostem.
Hîc fusa circùm tota sequacium
Manus virorum, quæ priùs æmula
Ioui minatorum Gigantum,
Hostica tela Deo inferebat:
Demittit aures attonitas: stupet:
Horrescit: atro muta metu, loqui
Mussat: proteruis vtque ventis
Icta abies, trepidat ruinam.
Magîsque multò, quò magis insolens
Christi intonantis cælitùs excipit
Vocem increpantem: Saule, Saule
Quid me inimica per arma, tentas?
Non profuturis viribus impotens
Deprœliaris: me petis irritâ
Virtute: durum est namque contra
Te stimulum malè calcitrare.
Extemplò ad istæc verba tenebrico
Chao inuolutos vix oculos leuat
Saulus supino stratus ore,
Lumen auet, refugitque lumen.
Mox erubescens, & malè conscius
Insanientis propositi, breuem
Sermonem in auras rumpit: ecqua
Iussa Deus facienda mandas?
Ille hæc: per æthram, nec mora, diditur

Desideranti

Desideranti vox bene consona:
Exsurge velox: inquietos
Exue solicitus timores:
Succede muris finitimis: ibi
Responsa nostri Numinis audies,
Quæ pòst capessas, quosque pro me
Proque Fide subeas labores.
Istic ab æthrâ clamor identidem
Reciprocatus, nec tamen vspiam
Dispectus auctor vocis, acrem
Ingeminat socijs pauorem.
Formidoloso nonnihil interim
Corroborato pectore, brachijs
Caliginosâ nocte septum
Excipiunt, releuantque Saulum.
Ducunt Damascum: tres penitùs dies
Hic Saulus exsors luminis, exigit;
Nec esculenti, aut poculenti
Quidquam, animo velut orbus, haurit.
Repentè post hæc Ananias, Dei
Immissus istùc imperijs venit:
A criminosâ labe, sacro
Amne lauit, renouatque Saulum.
Circùm expiati lumina protinus
Scintillat ignis, deque oculis, quasi
Ahenea squamæ cadentes
Exsiliunt, redeunte visu.
Dispar ab illo, qui fuerat priùs
Christi eminatus funera seruulis,

Saulo

Saulo, nouatum rite nomen
Ducit, opesque, animumque, Paulus.
Nouos calores pectore concipit:
Noua, vt loquatur, dogmata combibit:
Nouos nouorum præliorum
Mente nouâ meditatur ausus.
Nec tu, Iuuentus, quæ semel æmula
Sauli, ruisti per vetitum nefas,
Pugnare Christo temperabis,
Flagitÿs positura finem?
Quidquid patrauit criminis, inscius
Hoc perpetrauit Saulus, & vnius
Amore legis, quam colebat
A tenero studiosus vngui:
Tu verò noxæ sat bene conscia,
Nec Christiani dogmatis insolens,
In Christianam disciplinam
Tela furens inimica crispas.
Dulci veneno Dæmonis ebria
Velim retractes illacrymabile
Examen, ac strictum tribunal
Ipsi etiam trepidanda iusto.

SERENISSIMO ARCHIDVCI
ERNESTO AVSTRIACO, BELGII
imperium auspicato.

Vòd inter-exstat tot-Proceres viros
Clarum triumphis in cumulum caput,

Cùi fabriles feriata
Passim operas apotheca soluit?
Ha! est vetustâ magnus ab Austriâ
Pereruditâ maior ab indole
Ernestus, in quem liberali
Dona manu Deus explicauit.
Qui, (Turca testis plus vice simplici
Fusus fugatus) ne pede prorui
Iniurioso sacra, templis
In medijs pateretur exlex;
Neu perduellis factio Regijs
Iurata sceptris federa rumperet;
(Testes Iberi) per laborem
Vicit auos operosiorem.
O militaris sorte periculi
Beate Princeps, vnica Cœlitûm
O cura; tot post euoluta
Dura tua mala functionis;
Quis inuidendo spiritus impete
Sic lacrymosæ deripit Austriæ
Te, rursus in bellum resorbens
Qui meritò requiem arrogares?
Agnosco: claret viuidus impetus,
Quo pulsus Orbem linquere patrium
Hùc applicasti, prœliorum
Funereas positurus vndas.
Hæc te voluntas auctior impulit,
Ex quo salebras hæsit ad Ictias
Hispana classis, militemque
Exposuit

Exposuit malè fida morti.
Tum namque Parmæ Farnesio Duci,
Qui militarat non sine gloriâ,
Vis illa præstans, tabe lentâ
Corporis, attenuata cessit.
Quæ causa turmas propulit hosticas,
Vt furta belli clàm struerent, quibus
Et otiatas, & supinas
Impeterent truculenter arces.
Hinc plurimarum protinus vrbium
Irruptiones non sine cladibus
Sunt insequutæ, & peruetusto
Templa suo viduata cultu.
Hinc officina est plena licentiæ
Pars magna BelgI, nec penetrabile
Diuini amoris frigus, ossa
Quo malè sunt glaciata, sentit.
Hinc prægrauatæ plebis anhelitum
Conuexa cœli pulsa gemunt, neque
Longis fatigatam ruinis
Vlteriùs tolerare possunt.
Sed, euge, plebes, desine flebilis
Demum querelæ: desine pertinax
Molestiam dispendiorum
Mille, graui duplicare luctu.
Namque hic tuorum proximus omnium
Certè malorum terminus imminet,
Si tantus Heros inuidendi
Curriculum retinebit aui.

Hùc irretortos flecte oculos: vide
Quem tauriformis Danubius tuæ
Misit saluti: perlege omnem
Truncum, humeros, speciemque, & artus.
Hic qui gerendis rebus in arduis
Ernestus alto pectore præditus
Istùc per obstantes propinquos
Vt capitis minor, aduolauit.
Hic expolitis diues ab artibus,
Diuini amoris ditior, appulit
A Rege legatus Philippo,
Numine, consilioque cæli.
Abs quo in rebelles, & bene conditis
Concordiarum conditionibus
Dissentientes, administer
Iustitiæ fabricatur ensis.
Ille ensis, olim quem sibi porrigi
In arrogantem Marte Nicanora
Insomniosâ nocte vidit
Mathathiâ Machabæus ortus.
Tanto ergò plebes credita Principi,
Quem lacrymosâ mitior hostiâ,
Deus tibi Ducem ordinauit,
Parce queri, pauitare parce.
Tu verò cuius dextera cælicum
Ensem coruscat, vade animosior
Erneste, sublimi flagello
Tange viros semel obstinatos:
Parcensque lentam flectere mollibus

Ceruicem

Ceruicem, auito restituas loco
Pacem, fidemque; nominandus
Hinc Patriæ Pater atque Custos.

EIDEM.

QVod serò venis educta poëmata promam
Gratatus fidei pacem, Belgisque salutem
Quā dat opinatā mihi spe præsumere terror
Agminis hæretici Ernestus, genus Austriæ, ab aui
Limine Diuinum in cultum formatus ad vnguem:
Vir tacitæ imprudens causæ, me fortè morarum
Arguet, humanéque parum fecisse refellet
Immeritum: neque enim culpa vlla, sed atra cruentæ
Mortis imago, per exanimes quæ plurima Belgas
Incubuit, ficti in patriam post crimen amoris,
Præcidit positas vellitque poëmatis alas,
Quarum ope maturo ferret se ad Regia lapsu
Tecta, salutatum Heroëm. Qui namque (lupus ceu)
Extremos obitans Flandros populaturit hostis
In patriæ commune malum, fideique ruinam,
Tanto adeò mutumque metu, stupidumque tremore
Icit, vt infanti compar, hebes oris inersque
Perstiterim, nec adhuc trepidis à vocibus hiscam
Iam tum exspes, nisi dilatā formidine, me vis
Illa eadem, & quæ Germanis à cordibus altam
Dispulit auxilio fraternæ lampadis vmbram,
Lux Ernestæis oculis effusa iacentem
Erigeret, meque ad festi recrearet amorem
Carminis, accliuus templo & cœlestibus aris

Quod totâ cum plebe canam, exultimque canendum:
A populo, sublime tholis dabo figere votum
Pro Ducis optato aduentu. Nam dêinde furenti
Quos motu hæreseon raptos ardente camino,
Actinctos vitiorum vndis feruentibus, incus
Angla ministerio Batauo procuderit enses
In Belgas; ipse hos inimica in castra recusos,
Si modò continuet vires & vita superfit,
Diffinget. Nihil est, quod iam formidine clausi
Murorum aggeribus pauitent, vt ouilibus agni
Circùm instante lupo, Grudij, Grudijsque propinqui
Pleûmosij, Aduatici, Velocassesque; Profusis
Inde Ambiuariti latronibus obsidantur;
Hinc Ostendanus portus fremat; Ictius illinc
Frendeat; hostiles turmæ sese vndique fundant:
Hoc Duce nil, nihil hoc BelgI Rectore timendum est.
Ni præmaturo mors inuida funere tanti
Principis, iniectam nobis citò falce secet spem.
Eia animose Ducum Princeps Erneste, Philippo
Hesperiæ latè Regi delecte labantis
Imperij rebus præsens tutela (Ioui ceu
Alcides contra insultus furiasque Gygantûm)
Quando in dementes patriæ fideique ruinas
Hæreticæ pestes, vtroque ab littore, voto
Concordes, vitâ & sectis discordibus, iras
Contendunt, ac bella dolos bellantia texunt;
Eia, Eleazaride Phineo maiora sequutus,
Ne tantùm vltore ense duas Regique, Deoque
Periuras animas, & adultera corpora sterne;

At

At stomacho obnixo hæreticis non cedere turmis,
I cælo aspirante, sequax Gedeonis adurge
Sacrilegas latronum acies, quæ imbellibus armis,
(Vt Madian) fretæ incassum BelgI oppida per fas,
Perque nefas, regnata Deo, regnata Philippo
Nunc furtim insidijs excepta latentibus, antra
Opportuna tenent, habitasque fidelibus vrbes
Circuitu in longo cædis terroribus implent,
Tantùm adeò, vt fugiantque casas & rura coloni.
Par, fateor, magno genus Israële profectum
Sors habuit, pressitque iugo: sed mitior illis
Enituit, præsensque tulit mærentibus ætas
Auxilium. Cùm nãque Amalec, Madianq; superbâ
Et victrice manu septem populata per annos
Rura darent, iamque Israël per lustra ferarum
Tuta fugæ, sese in latebras atrosque recessus
Abderet, Angelico Gedeon fidentior ori,
Quàm telis, numeroque virûm (quos ipse trecentos
Millibus è multis bellax rapiebat in hostem)
Perdidit infestas acies, priscâque repôstum
Libertate genus Iacobi in pace locauit.
Tu nobis Dux Erneste Illustrissime, bello
Fortunatus eris Gedeon, si qua aspera rumpas
Fata, inimica tuæ vitæ: nihil ambige: lectos
Ter centum rape in arma viros, & præcipe sanctâ
Spe palmam: nec enim tibi Diua potentia (certum est)
Vsquam aberit. Viden? ecce sui latè explicat vmbras
Vmbonis, quibus hostili serueris ab ense.

Scuto circumdabit te Veritas eius. *Psal. 90.*

SERENISSIMO CARDINALI ALBERTO AB AVSTRIA, IN BELgium pro suscipiendâ eius gubernation e aduentanti.



Nde illa Cannas Aufidumque perluens
Largo Italorum sanguine
Horrenda strages, quam Quiritũ matribus
Abominatus Annibal
Victricibus telis dedit, Terentio
Varrone primùm Consule?
Vin scire? Delphos, pictor vt petijt, pete,
Oraculumque consule.
Vnde illa Regis Emoris fauces premens
Sichemijque pectoris
Transuerberatas hauriens crates truci
Machæra ferro, Regiam
Vrbemque Sichemam cruentâ imagine
Passim cadentûm funerans?
Quo fonte clades tanta deriuauerit,
Iacobias canit Dina.
Vnde illa feruens ira læsi Numinis
In Isaci mæstum genus,
Circumvagante quod pererrabat pede
Deserta Sittim deuia?
Vnde ille diri more fulminis ruens
Vltrice Iudicum manu
Libratus ensis in cruorem patrium,

Deque

Deque Israëlis posterâ
Ætate, crudâ morte supra quattuor
Vicena sternens millia?
Te, prima tantæ causa cladis Zambrij
Et Cozbiæ manes, spathâ
Quos vindicante misit Orco Phinees,
Serò dolentes edocent.
Hinc mitioris in flagella Numinis
Inexpiati Belgij
Miserta tandem diues indulgentia,
Veniæque procedens viâ,
Intaminatâ castitate nobilem
Alium excitauit Phinea,
Quem de parentis educatum baiula
Matrice, donis omnibus,
Quæ præminentem patriæ Ducem decent,
Pandora præquàm Græcula
Instruxit affluentiùs, iam tum suis
A cunulis, puertiâ,
Ephebiâ, iuuentâ, ad æuum Heroïcum
Felice quod ducit gradu,
Centena præter decora virtutum, quibus
Ornatum ad vnguem insignijt,
Vt vniuersam intaminato corpore
Intermicaret Austriam.
Prudente cura, continenter perstitit
Vrgere quod præceperat
Solers Pronia cunctipollentis Dei:
Toti quòd illum Belgio


Prægestiebat destinare Principem,
Illustre continentiæ
Specimen futurum, temperantis vt sui
Populus Ducis foret sequax,
Nec deinde priscis asperaret sordibus
Incontinentis corporis,
Dei optimi, Patrisque clementissimi
Iras ineluctabiles.
Quis ille Belgis excitatus Phinees?
Albertus ortus Austriâ.

IN SEBVSIVM QVENDAM, ALBERTI AB AVSTRIA IN BELGIUM aduentu perterrefactum.

Estipus ore quòd Sebusius mutit,
Quòd nubilosæ frontis exarat sulcos,
Quòd decolore lugubris iacet vultu,
Quòd penè terram perpudens ferit naso,
Quòd execratum dexterâ fodit pectus,
Quòd pallet, horret, sudat, ac pilos vellit,
Quòd huc, quòd illuc more Phœbadis cursat;
Non Christiani nominis dolet casu:
Non lacrymandi tangitur malis vulgi.
Quid ergò? Læsi Numinis pauens fulmen
Cadauerosam conscientiam exhorret?
Non hæc doloris excitat faces causa:
Etenim caninam conscientiam gestat.

Sed

Sed infidelis vstulans metus sceptri
Ne criminosâ de suâ cadat dextrâ
In digniorem Principis manus palmam
Ense opitulantis Austriæ reponendum,
Hunc, vt trementes Africo ilices, quassat.
Hinc ille demens torquet anxium mœror,
Magisque nerui Martialis effætum
Inopemque crudis lancinat modis, quo iam
Constantius gliscens ad eius attentas
Occentat aures fama: Venit Albertus,
Quem prouidente pectus instruit curâ
In læua belli fata: Venit Albertus,
Quem corpus expers ægritudinis duræ
Calensque sanguis à virilibus seclis
Sinent adire (quando res volent BelgI)
Castrense pondus triste: Venit Albertus,
Pecuniosi ponè quem gemunt muli,
Vis præliorum prima: Venit Albertus,
Quem toruus armis flammeis Iber stipat.



SERENISSIMO ALBERTO
CARDINALI, BELGARVM
Proregi.

SErenissime cœlibum virorum,
Quos Patres fidei colit beata
Claros murice purpurante Roma;
Augustissime Præsulum virorum,
Quos Hispania suspicit decoros

Sacrato capiti eminente mitrâ;
Amicißime Principum virorum
Quos consanguineæ propinquitatis
Pro multiplice copula, fideli
Deuinctos sibi caritate, regnans
Vtraque Hesperia Philippus ornat:
Fratrum postere sæculo tuorum,
At non postere dignitate mentis:
At non postere prouidente sensu:
At non postere consulente verbo:
At non postere doctiore lingua:
At non postere præliante dextra,
(Cùm respublica prælium reposcit)
At non postere bellicis tropæis:
At non postere diligente cura:
(Cuius symbolon est Vlyßipona)
At non postere castitate (cuius
Mentes æthereæ entheantur aura)
At non postere pacis instruendæ
Spe, qua sufficies beare Belgas,
Qui festo studio tui applicantis
Forum, compita, porticus, tabernas
Plausu triplice personant: secundis
Alberte imperium auspicare votis.



IN

IN INCLYTI PRINCIPIS DE MENDOZA SYMBOLON

Virtus vſque Victrix.

Quid nubilũ, ſudumq;, per ſummũ, per &
Decliue cæli ſtat iubar?
Tuæne vitæ lubricum refert ſtatum
Mendoza ſolis æmule?
Referre certum eſt. A iuuentæ limine
Ad vſque canentem comam
Afflictionum paſſus es nimbos graues
Liuoris impotentia,
Phœbi inſtar obtendens facem, quà militi,
Quà conſulenti Curiæ
Incomparata diſciplina, moribus,
Fidelitate, induſtria.
Quæ tanta virtus inuidenda liuidis
Cùm te ſupremo identidem
Dignum ſtitiſſet amplitudinis gradu,
Sponte obſequuta nubibus
Iniurioſis; mox ad imum propulit
Ridente nequidquam Inuido:
Nam Phœbus occidat licet, ſurgit tamen,
Rumpenſque nubilum chaos
Priſcos amœna luce vultus purpurat,
Summoque ſubſidit polo.
Tanta nigrantem nubis euincunt globum

Virtute Titanis comæ.
Sic occupatum liuidis nimbis tuum
Per quicquid obstitit, caput
Non infrequenter extulisti, ab infimâ
Surgens ruinâ clarior,
Valentiorque, quàm suo casu valens
Antæus impar Herculi.
Quæ causa? Virtus vsque victrix: arduos
Virtus per obyces ruens:
Virtus negatâ quæ petit cælum viâ,
Vt palma non volens premi.
Hæc illa virtus innocens, nec vllius
Probri obsoleta sordibus,
Quâ Celtiberos inter omnes emicas
Intaminatâ gloriâ
Equestrium Dux auspicatus ordinum,
Vt Belgium stratum leues.
Eia fidelis Officina consilI
Digniq̃ue forma Principis
M*endoza, cuius prima Prorex Belgÿ*
Albertus ora consulit,
Perge irreflexus continente spiritu
Ad summa quà secat viam
Tua Vsque Victrix nubili Virtus probri:
Res est gerenda viribus.
Nam quanta Belgas fluctuum nox obruat,
Quàm cæca tempestas diem
Cælumque nimbis bellicosis implicet,
Et cernis, & tangis manu.

Euge

Euge ergò, prome feruidus tuum iubar
Differre nubes efficax:
Caliginesque Martiales Belgici
Cœli reterge Adoreâ.
Sic liuor ater te perosus, coccino
Lugubre mutabit sagum.
Aut atriore fœdus ægrimoniâ
Claudetur æterno specu.
Tu ter quaterque Sole puro purior
Sedes Beatorum coles.

IN INSIGNIA PRINCIPIS EIVSDEM FRANCISCI DE Mendoza.

QVòd sparsim, Mēdoza, tuis insignibus aureū
Pingis Aue; Tritaui fecit ahena manus.
Nāq; per Hesperios acies Maurusia probrum
Relligionis Aue dum male figit equis;
Surgit in aduersum Tritauus, Maurique fugati
Exuuias, signa in propria raptat Aue.

IN LAMPADEM ARGENTEAM TEMPLO VIRGINIS MARIÆ Cameraci à Comite de Fuentes voti reo donatam, subiugatâ Vrbe.

ECce triumphatâ, voti reus, vrbe, fauoris
Diua tui testem lampada figo tholis:
Ac sit inextincto vt viuax ellychnion igni;
Perpetuet succos ebria testa, volo.

IN

IN STEENVVICANÆ PROPVGNATIONIS FASTOS COCQVELLIANOS.



: Nam sepulta nil ab inertia
Celata virtus discrepat: i liber
Obliuionis te sepulcro
Deripe, dum libitina parcit.
I: quà recurrens Sol habitabiles
Illustrat oras, irresolubili
Librare pennâ: bellicosque
Visu oculos animosque pasce.
I: militari cum grege Principes
Depræliantes pro patriâ, Deo,
Ac Rege, fortes te magistro
Obsidium tolerare discant.
I: martialem fer per Iberiam
Mæstamque BelgI turbine Regiam
Librariorum quæ labores
Bella tuis posuere chartis.
Per te Philippus nobilis Austriâ,
Vterque Regem quem colit Hesperus,
Cocquellianæ pertinacem
Vim fidei stomachique discat.
Tibi eloquenti credulus audiat
Cocquellianæ quid valeant manus,
Quas præliaris disciplina
Expedijt per aperta pugnæ.


Cocquellia-

Cocquellianâ quàm ſteterit diu
Defenſa curâ, vix habilis leui
Steenvvicа Marti, buccinante
Te, ſtupeat, meritumque penſet.
Nam ſeu irretorto lumine perſpicax
Luſtres in oui ſchemate mœnia,
Prona in ruinas, obſidentûm
Vix madido ſuperanda paſſu;
Seu bis quaternos præſidiarij
Gregis maniplos, auxiliariâ
Spe deſtitutos (commeatu
Vrbis opes tenuante) cernas;
Seu mente tractes penſiculatior
Montes minarum, milleque machinas,
Quas mole multâ admouit arci
Perniciem meditatus hoſtis;
Seu fiſtulares diſpicias tubos,
Tormenta bis terdena tonitruo
Remugienti continenter
Vaſtificas iaculata ſphæras;
Siue irruentûm mœnibus, hoſtium
Spectes retuſas in numerum graues
Impreſſiones, vulneratam
Mauritio referente frontem:
Intaminatis emeritum coli
Cocquellianum pectus honoribus
Diiudicabis, primaque illi
Militiæ decora arrogabis.
Namque eminentem ſi deceant Ducem

Belli

Belli palæstræ corpus idoneum,
Ars disciplinæ militaris,
Cor trepidi refugum pauoris;
Probata virtus, indociles capi
Pecuniosis illicibus manus,
Deo fides indissoluta,
Iudicium, ingeniumque solers;
Cocquellio quis Principe dignior?
Compago cuius corporis eminet
Perapta belli sustinendis
Ponderibus, variæque sorti.
Sedile testor sublicium foris
Ædilis, in quo sub Ioue frigido
Breuem elaborauit soporem
Sæpe, nihil thalamum moratus.
Spectata cuius Marte scientia
Cincto reluxit nuper in oppido,
Defenso ab ortu Maÿ, ad vsque
Pomiferi leue tempus anni.
Quàm verò in armis intrepidus mori
Magnæque vitæ prodigus hæserit;
Hostilis exceptus cerebro
Pyrobolus, sine voce clamat.
Quanquam haud pauentis sit nota certior
Clementis ædes rapta furoribus
Incendiorum, quam propinquæ
Vt solidam eriperet ruinæ;
Vultu sereno fortis, & omnium
Princeps sequentûm templi adyta irruit

Quâ parte bacchabantur ignes,
Quos gelido sepeliuit imbri.
Virtutis huius symbola discupis?
Sui sequacem consule militem:
Quem, cætera inter, peierandi
Dedocuit sine felle morem.
Trahentis ad se cuncta pecuniæ
Qaàm continentes ritè leuet manus;
Rex ipse testis: quique eundem
Illaqueare tetendit, hostis.
Porrò, fidelis quàm fuerit Deo
Regique, pugnæ, quas obijt, notant:
Sex namque lustris militauit
Contra animos malè perduelles.
De perpoliti dotibus ingenI
Grauisque iusto pondere iudicI
Vis edoceri? me silente
Ipsa docere stupet Minerua.
Vade ergò, fastos per memores, liber
Vtrique latè defer Iberiæ
Cocquellianum nomen, vt sit
Laude suâ cumulata Virtus.



STVDIOSI LITERAS HVMANIORES OB DISCIPLINÆ FASTIDIUM abdicantis Hypotiposis.

Quis durũ imperium, quis frena, manumque magistri
Fulminei perferre queat? quis torua seuero
Ore supercilia, & bombos imitata tonantes
Verba, metu trepido exanimus non horreat? æger
Hinc animi primo studiorum in limine tentor.
Nupera namque domus patriæ solatia, somni
Copia, & effrenis laxata licentia cursus,
Milleque ludorum formæ, quibus atria latè
Nostra fremunt, subeunt animum, studijsque volentem
Subducunt. Non ad tricas, & inania Phœbi,
Palladis, Aonidûm, Parnassi nomina: non ad
Artis inertis opus vanum, mea sustulit olim
Me genitrix, Graiæ nec ad otia raucida linguæ:
Sed varios hominum vt mores, varia oppida, multæ
Mercis emax, aurique petax mercator obirem.
Quisquis ad hoc facilis vitæ genus applicat æuum,
Omne voluptatis delibat amabile nectar.
Nullus ibi terror, pauor, exanimatio, nullum
Verborum tonitru, fulmenue, quod attonet aures
Percellatque minis: ibi summa licentia morum:
In medios ibi sæpe dies producere somnos,
Et nocti cœnas, choreasque æquare diei
Nemo hominum culpat: genio indulgere, beanti

Læti;

Lætitiâ gestire, sales adspergere dictis,
Molliculis inter risum strepitare cachinnis,
Tristificas animi nubes dispellere vino;
Nulla, licet malè sollicitis plenissima scrupis,
Relligio prohibet: rigidos imitata Catones,
Putidulos quæ virga notet Censoria gestus,
Et venalitijs, & mercatoribus exest.
Nil brumale gelu, nil tortæ grandinis imbres,
Nil pluuialis hyems, nihil illætabile cœlum,
Nil per iter, quamcumque caua circumuolet vmbra
Nox, nihil ad teneras qui stridulus adsonat aures
Spiritus Arctoï Boreæ contristat euntes:
Namque viæ simul atque modum posuere, calenti
Robora larga foco triplicato fasce reponunt,
Neue grauent, hilarante fugant, incommoda Baccho.
Intereà nobis hæc est præcisa facultas,
Sin, legum rigor, ac saui censura magistri
Quam graue sit tolerare, premet, subigetque flagellis.
Hinc placidæ libertatis nodumque moramque
Rumpimus, & libros nostris ingrata lacertis
Arma scholæ, inuisasque animis viuacibus artes
Exosi, ad patrias auidi conuertimur ædes.

AD HVMANIORVM LITERARVM BONÆQVE DISCIPLINÆ osores Lycurgus.



Væ iuuenes? quæ vos noua cõiuratio mutat?
Ergóne virtutum surgentia semina vestris
Mẽtibus, & spinis, & puluere victa fatiscẽt?

Ergò

Ergò laboratâ vigilis cultoris ab arte
Doctrinæ seges ingenio vestro insita, posthac
Ludibrium vento in nihilum dilata feretur!
Desûeuisse graue est quibus assûeuistis ab æuo
Prætenero, fateor: præstante sed indole natos
Dedecet assûeuisse malo, cui deinde voletis
Desûeuisse. Nec infiteor, desûescere, multæ est
Artis opus: quis enim naturam euerterit arte?
Quæ longo natura tamen vitiatur ab vsu,
Hæc eadem pariter longo instauratur ab vsu.
Ergò reformando genio labor impendendus
Non leuior, quàm qui vitiando impenditur antè:
Nam cuneum vt cuneus, noua consuetudo vetustam
Extrudit: mollitque feros bona cultio fructus
Longa tamen. Sic quæ surgit siluestris inerte
Infæcunda solo ramis frondentibus arbos
Insita, mutatæue scrobi mandata, repentè
Deponit siluestrem animum, cultuque frequenti
In quascumque voces artes, haud tarda sequetur.
Tantùm adeò mutare valet vitiata magister
Artis anhelanti sudore exercitus vsus,
Naturæque frequens cultus. Vultisne doceri
Virtutem, eximios mores, artesque parari
Non tantùm ingenio & naturæ munere, quantùm
Sollicitante parentûm opera, cultuque magistro,
Ac indefesso non rupti temporis vsu?
Morigeras exemplo aures, oculosque sequaces
Porrigite, & vasto spectacula digna theatro
Perspicienda dabo. Gemini, mora nulla, trahantur.

Hùc

Huc catuli, quos vna vni supposita catello
Eduxit Spartana canis: verùm arte magistrâ
De tenero assuetos vngui, quasi matre creatos
Dispare, diuerso studia in contraria ferri
Impete naturæ, docui: namque iste ciborum
Oblitus, leporumque sequax; ardenter anhelat
Indagare feras: medicatam hic frugibus offam
Helluo, deses, iners, caudex, indaginis expers,
Appetit. Vsque adeò valet indole dispare dispar
Effingi cultu catulus, quem finxit in aluo
Inter se Natura parem. Hæc lætissima vestros
Ante oculos imitanda homini miracula ponam,
Vt pòst, artificis sit quanta potentia cultus,
Quæ vis, quæ natura vsus, vos, vestraque norit
Posteritas: Adeo à teneris assuescere multum est.
Cernitis, vt leporem premat ille; hic euoret offam?
Hoc doctrina dedit: dedit hoc exercitus vsus.

ANIMÆ DAMNATORVM AD ILLA VERBA: Canet enim tuba. 1. CORINTH. 15. & MATTH. 24. Mittet Angelos suos cũ tubâ & voce magnâ, qualis erit: Surgite mortui, venite ad iudicium. ET: Tunc incipient dicere mõtibus, Cadite super nos: & collibus, operite nos. LVCÆ 27.

Quis clãgore nouo terras, Erebũque profundũ
Personat, horrendis tremefactæ vt cornibus vrnæ
Relliquias cinerum, defunctaque corpora reddant?


Quò rapimur? quibus ex fatis in fata vocamur
Altera? Non satis ad nostras sunt Tartara pœnas?
Tormentumne manet miseras crudelius? ignis
Iugè renascentes flammæ, quamcunque, fatemur,
Barbara, dira, fera, immansuêta, immania vincunt
Supplicia: exsuperant tamen intolerabilis iræ
Iudicis, & candens nostro pro crimine vultus.
O vtinam arentes cineres, atque ossa, vetusti
Quæ tumuli vacuâ gelidæ Telluris in aluo
Continuêre; cauo quæ Pontus auariter aluêo
Per lapsum, vel per tumidos absorbuit æstus;
Quæ Zephyri rapuere leues inhumata per auras;
Quæque dedere feris alimenta rapacibus escam,
Nullius arte legi, iungiue labore valerent!
Sed frustra querimur: nostræ loca conscia vitæ
Sunt repetenda: grauem quæ spirat in astra mephitim
Nostrorum fluido vitiorum infecta veneno
Terra, iterum calcanda: licet mens retrò reflectat
Vota: sepulcrorum moles reuidenda: nefas est
Inuiolata Dei, quæ iam insonuere per orbem
Iussa, retractemus: demortua corpora rursus
Induere, & cineres nobis aptare receptos
Vrgemur. Sed, ô, ærumnæ miserabilis odam!
Ergò situ sentas tetraque putredine fœdas
Nos intrare iterum iubet irreuocabile fatum,
Ignis inextincti fomenta, in secula conchas!
Nos rursum putente parat concludere cœno!
Hæc gypsata figura, olim quæ mille malorum
Larga fuit sentina, truci nos denuò morti

*Accipiat! nos hasce noue perferre cloacas
Corporum! abite procul foricæ; procul ite latrinæ
Exuuiæ nostræ veteres; exeste fimeta.
Quid verò incassum hæc ingrata reuoluimus? vrgent
Iussa, quibus nos inuitas parere necesse est.
At, vestro nos, ô montes, inuoluite casu:
Nos vmbrante sinu miseras obnubite valles.*

VERBA EX IGNE EXPIATORIO IN CORPORA SVA REMIGRANTIUM AD IUDICIUM VNIUERSALE ANIMARUM.

*IN crepuit clangore nouo noua buccina signum
Iudicij, vt quas furua dom⁹ caligine mersas
Occulit, & certa exercent in tempora pœnæ
Corporeâ eductas animas compagine, donec
Concretam eluerint ad viuum incendia labem,
Quæque suum ruptis remoris in membra reuersæ
Iudicium expectent, quia pœna atq; ignis abũde est.
Ergóne certa fides nostrum finire dolorem!
Ergóne credendum nos flammæ exire furores!
Ergóne sperandum nos cœli ad limen ituras!
Ergóne decretas ponent incendia vires!
Ergóne contractas labes sacer eluit ignis!
Ergóne nostra Deum mens emaculata videbit!
Ergóne de limo corpus iam illime futurum est!
Ergóne cum victrice animâ caro passa triumphet!
Ergò redonatos faustæ vegetabimus artus,
Vt rutilo circùm vestitæ lucis amictu
Aeternâ iunctæ superis in pace locemur!*

Dos nullâ peritura die, quam prima feret lux,
Lux iungenda nouis flammis, quæ protinus orbem
Corripient, penitusque dabunt considere in ignes.
In sublime, caput protollite: cernite: vestra
Proximat illa diu prædicta redemptio, tantis
Quam cœli indigetes animæ tot sæcula votis
Continuò optarunt. Vt fur de nocte silenti
Ecce venit Deus, ecce venit, Deus ecce propinquat.
A torpente graues oculo secludite somnos.
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
Et felix operæ est, qui peruigil excubat illud
Prouidus in tempus, sua vestimenta fideli
Vt curâ seruare queat, ne veste reuulsâ
Nudus ad enubes oculos, & nescia falli
Fraudibus, aut specie, fucine nigrantibus vmbris
Iudicis ora, trahendus eat, putealque, forumque
Formidandum homini, neque declinabile sonti
Insontique, velit certâ tolerare ruinâ.
Ergò, agite, & vestras Virtus vt adornet amictu
Tricolore animas, valido indulgete labori.
Nec vitæ breue delicium, neque falcitenens mors,
Nec vesana fames, neque sæua pericla, neque arcta
Pauperies, neque vis, neque dira tyrannidis arma,
Nec turmæ Angelicæ, neq; quidquid in ordine cœli est
Seu Princeps, Virtusue fuat, neq; summa, nec ima,
Nec fluidum instar aquæ præsentis temporis instans
Impendensue animis momentum auellet abollas.
Certa laboratæ vobis ego spondeo pugnæ
Præmia. firmâ igitur constans sibi quisq; secet spem.




B. MARIÆ MAGDALENAE AD CHRISTI SEPVLCRVM stantis Erotici Threni.

PERSONÆ.

AMOR DIVINVS.
ANGELI DVO.
CHRISTVS in olitoris schemate.
MAGDALENA.

AMOR DIVINVS.



TATE viri curâ, aure, oculis, &
pectore: namque
Stantia fœmineis fletibus ora petūt.
Magdalis ecce cauo Iesu allacrymata se-
pulcro
Furtiuum nardo tinguere corpus auet.
Stat, nec abit, dum sollicitâ formidine capti
Discipuli capiunt ad sua tecta fugam.
Vt stet, amor premit: vt lacrymet, dolor incitat. Ergò
Hæc vobis prosit lacryma: prosit amor.
Stare tenax circumiectis loca singula lustrat
Sæpe oculis, si, quem quæritat, illa tegant.

Illacry-

Illacrymans altis singultibus ilia pulsat:
Nam raptum corpus funebre lusa putat.
Ante trucidatum luxit: iam noctis in vmbrâ
Sublatum: luctus crudior inde grauat.
Quæ primum medicaret, erat medicina, dolorem
Nam se crediderat corpore posse frui.
Iam quia sperati viduæ est erepta facultas
Corporis; ossa dolor non medicandus habet.
Ac, ne flamma, sui quæ feruet amore magistri,
Corripiat, succo deficiente, gelu;
Neue medullatas glacient malè frigora fibras,
Igne sui Sponsi non calefacta, timet.
At verò patulas hîc insinnate per aures,
Quos gemitus fundo cordis anhela ciet.
Vt si quandò calens in vestro pectore, Iesu
Frigescat, rigidus vel glacictur amor;
Vna sit egregij vobis dux fœmina facti,
Quò prior incaleat, quo vegetetur amor.

MAGDALENA.

En quid agam? cassane viâ, ingratoque labore
Ad patrias mœstâ fronte redibo domos?
An potiùs maneam exsanguis fœcunda timoris?
Nulla metus causa. hîc mussat: abite metus.
Quid metuam, cruce quãdo mihi nex dira magistrũ,
In quem vnum incubuit spes mea tota, tulit?
Nil quod amem, speremue, super: namq; vna meæ lux
Vis, & vita animæ, funere, fure perIt.
Mors mihi iam vitâ est potior: demortua fortè
Repperiam, viuax quam reperire vetor.

AMOR DIVINVS.

O! quis amor! væ, si vacuas præteruolet aures:
Væ, nisi ad hunc hominum ferueat algor iners.
Omnia vincit amor: quid enim decertet amori?
Vita ab amore perit: mors ab amore cadit.
Ecce Maria perosa suæ fastidia vitæ,
Mortem, quâ Domini viuat amore, petit.
Et, licet ingratas vitâ nectente moras, mors
Lugentes oculos claudere grata neget;
Sensibus vsa tamen, quoniam exanimatur amore,
Nil sentit, nihil & lumine functa, videt.
Stat, neque stat: silet, ac loquitur: auditque, nec audit:
Exspes sperat: vbi est nunc, & adest, nec adest.
Namque loci quacumque manet regione Magister,
Mœsta cliens toto corde ibi tota manet.
Tantùm adeò diuina potest dilectio, fortis
Vt mors, quâ sensus obstupefactus hebet.
Explorare lubet quantum ignem accendat amantis
Ossibus, vtque illam sensibus orbet amor?
Dic, mulier, cur Discipulis repetentibus ædes,
Ad tumuli perstas exteriora vigil?
Quæ tibi, præ reliquis, Iesum spes tanta videndi?
Quid tibi consilij? quid tibi mentis inest?
His nuper Solymam seruantibus alite passu
Anteisti croceum Sole parante iubar:
Pòst geminis curæ comes indiuulsa redisti:
Nunc repetunt ambo dum sua, sola manes.
Quæ tibi causa subest? cùm te fiducia maior
Firmet in aduersis, an magis vrit amor?

Anne

Anne etiam nunc Discipulis es fortior? Ore
Conticet: abs animâ sensus amante stupet.
Nîl sapit illa, sui quàm feruere amantis amore,
Ablatoque super corpore flere diu.
Est oblita metus, truciumque oblita minarum:
Est oblita sui, quem lacrymatur, heri.
Nam, nec eum nouit: nec enim, si nosset, inanis
In tumuli positum quærere vellet humo.
Sed neque, fixa memor Domini si verba teneret,
Sic lauèret lacrymâ continuante genas.
Nec super enecto tot surgeret in singultus:
Nec super ablato tam querulosa foret.
Ast hilarata resurgentis pro lumine, proque
Hoste triumphato plauderet, ore, manu.
Audijt, vt Iesus iterumque, iterumque, superstes
Præcinuit diram, quam tulit vltro, necem:
Vtque triumphali rediuiuus honore, leuaret,
Tertia cùm primùm lux foret orta, caput.
Magdalis ista frequens auidâ bibit aure: sed ingens
(Proh dolor) erasit singula mente dolor.
Et nullas superat sensus, vis nulla regendæ,
Consilium nullum, perfugiumque spei.
Quid faciat? quò se referat? quò lumina vertat?
Ad lacrymam: afflictæ lacryma sola super.

MAGDALENA.

Heu! vestigati nusquam vestigia, nusquam
Corporis ablati symbola puluis habet.
Christe lates: nec scire mihi quis te abstulit autor,
Aut in quo lateas conditus orbe, licet.

Quis-

Quisquis ad hanc tumuli molem se contulit, ille
Multa mihi de te verba rogatus abIt.
Ipsa ego sublustris cùm iam matuta ruberet,
Ferrer & ad fratres, vt leuis aura, tuos;
Tecta Sion, vbi Apostolicus consederat ordo,
Appeto per medias nil remorata vias:
Hîc, vbi, quæ pendebam animi te viuere, posse
Credideram audiri nuncia certa tui.
Nutantûm tamen vt fratrum discordia sensi
Ora; Sion plagam nil medicata meam est.
Inde adij Martham: veri quoque nescia Martha est,
Raptus ab hostili delitea sne manu.
Te superesse canens dubiam mihi vellicat aurem
Petrus, & vnanimes abs Emaunte duo.
Non tamen his ita mens viduæ subsidit amantis,
Quin pateat curis area vasta nouis.
At curis coquor incassum: cor fortiùs vrunt,
Tardiùs ereptum quò reuidere vetor.
Quid faciam? vnde tuos artus, ablataque membra
Anquisita petam? quò miseranda ferar?
Hîc mihi in immensum surgens tecum omnia tollit
Spem, sensus, animum, consiliumque, dolor.
Est mihi sola super lacryma, vna est anchora luctus,
Vnum plorantis delicium lacryma.
Quid verò à læua tumuli, dextraque, coruscum
Par iuuenum cultu candidiore sedet?
Ast horum medius non interlucet Iesus,
Solamenque mei perfugiumque mali.
Ire iterum iuuat in gemitus, iterumque resolui

In lacrymas: nec enim ſpem mihi viſa ferunt.
O ærumna ferox! ô ineluctabilis angor!
O dolor! ô trux crux! ô laniena grauis!
Omni me de parte anceps anguſtia cingit,
Nec rationis adeſt, conſilijque ſatis.
Si tumulo auertor, non eſt reperire quod opto:
Nec ſpes, ad tumulum ſi moror, vlla micat.

AMOR DIVINVS.

Ne præceps animi labare, Maria, vide rem:
Exerito vires ingenioſa tuas.

MAGDALENA.

Dum tacito prudens iſtæc examine libro,
Hic angor; mihi pars vtra legenda venit.
Incertam à tumulo decedere, certa mihi mors:
At plantâ ad tumulum perpete ſtare, dolor.
Incuſtoditum tamen aſſeruare ſepulcrum
Prælig o, nec dubio longiùs ire pede.
Stabo igitur, Dominique mei propè amabile buſtum
Indignantem animam carnea vincla vomam.
O fauſtum, felixque meum poſt funera corpus,
Pone magiſtralem ſi tumuletur humum.
Fortunatam animam luteo de vaſe fluentem,
Cui præclara ſui tumba patebit heri!
Nunc ergò Domini ad tumulum indiuulſa manebo:
Nam ſic emoriens, nacta leuamen ero.
Me, lacrymas inter, gemituſque, abiêre relictâ
Diſcipuli: ſociæ nec rediêre meæ.
Quò-me-cumque oculis verto, qui lugeat, vſquam
Non video: non eſt, qui mihi quærat herum.

Vnus

Vnus & alter ab æthereis apparuit ales
Orbibus: & quorsum? nil ego certa scio.
Si delaturi fuerant solatia, scire
Debuerant, mihi quæ causa doloris erat.
Aut si fortè mei causam tenuere doloris;
Cur hi quid plorem, me lacrymante, rogant?
An me flere vetant? potiùs me absumere leto
Deproperent: lacrymas quàm sino, malo mori.
Nec parere paro, grauidos neque sistere fletus
Dum meus à fletu repperiatur Amor.
At quid ego attentem mulier sine viribus, exsors
Consilij, nullo vindice, mentis inops?
Quis mihi monstratum certo dabit indice sponsum,
Cuius inexpleto mens ab amore calet?
Ite, ô cælestes Animæ, celerique per auras
Agmine, ferte animi nuncia certa mei.
Defectis quia iam propè sensibus, eius amore
Langueo, & elumbat membra soluta dolor.
Eia, reuerte mihi dilecte, reuerte meorum
Votorum, sine quo vita peribit, amor.
O amor humanis deamabilis omnia supra
Cordibus; adspectus gaudia redde tui.
Prome tuam enubi Phœbo, Lunaque nitentem
Lucidiùs faciem: vox tua in aure sonet.

ANGELVS PRIOR.

Quid mulier vultus lacrymato flumine sulcas?

ANGELVS POSTERIOR.

Quid mulier mæstis imbribus ora lauis?

AMOR

AMOR DIVINVS.

Magdalis, ecce tibi cæleste leuamen: abundè
Ad surdum hunc tumulum collacrymasse vacat.

MAGDALENA.

Ha! mihi præ Iesu optato quàm cætera sordent!
Quàm, nisi de Iesu, vox malè grata mihi est!

AMOR DIVINVS.

Innubes assume genas: nam quæ hactenus exspes
Vberibus lacrymis gaudia quæris, habes.
Et verò desiderijs sublimibus, ac spe
Fors maiora: vnum discupis, ecce duos.
Antè, sepulcrali fuerat tibi mole cadauer
Quæsitum, atque obito funere truncus iners;
Nunc tibi quæ sunt apta, tuis & idonea rebus
Florentûm iuuenum corpora viua vides.
Nunc reperis quos cura tui, rerumque tuarum
Sollicitat, mœstam quique leuare velint.
Ille autem, largis quem fletibus humida quæris,
Apparet fletus nolle videre tuos.
Illum vrges, & voce vocas; neque voce vocantem
Excipit: affundis vota: nec illa capit.
Vestigas: nec eum reperis: precis ariete pulsas:
Non aperit: sequeris: teque sequente, fugit.
Heu! noua quæ rerum facies, inopinaque surgit,
Christe Mariæ olim te redamantis amor?
Quæ tua te tam diuersum mutatio vertit?
Deferbet solitus ferbere priscus amor?
Olim inter stratæ sudata negotia mensæ
Quam residem studuit insimulare soror,

Purgasti

Purgasti linguæ tacitam studiosiùs, illa &
Otia, quæ dixti continuanda, subIt.
Hæc olim tibi cùm Nardo Syrioq; perunctos
Malabathro, capitis tingueret amne, pedes,
Tergeretque comis, mensâ indignante, stupente
Conuiuâ insolitum sedulitatis opus;
Ne qua Pharisæum pectus maculosa notaret
Suspicio, causas abstulit vnus amor.
Denatum placidi reuocasti in luminis auras
Germanum: flentis quod potuere preces.
Quidnam in te; Iesu, intereà committere tantum,
Quid potuit mulier tam studiosa tui?
Vt querulam exaudire neges, fugiasque sequentem,
Tamque diu latebris abditus ora tegas?
Non alias mœstæ culpas accepimus, ex quo
Ad te, deserto Dæmone, versa fuit,
Quàm quod, vix iubare exorto, præq; omnibus, istuc
Conditura tuum corpus anhela ruit:
Et non inuento, tumuli omnipatentis in aluo,
Funere, discipulis nuncia prima tulit.
Cum quibus hanc iterùm ad tumbam, mora nulla, recurrit;
Atque illi ad proprias dum rediere domos,
Hæc, seu te ablatum tumulo, seu viuere credat,
Spemque metumq; inter stat, lacrymansq; gemit.
Hîc vllum si crimen erit, vix dicere musso:
Nullus enim, quod agit, fucus, & vmbra tegit.
Si potiùs desiderio percussa fideli,
Ictaque amore tui stet sine fine gemens;

Cur

Cur, qui te redamantẽ adamas, & amãter adhamas,
Quærentem, antrorum per latebrosa, fugis?
Me, mihi qui luci vigil excubat, inuenit, inquis:
Ecce tamen tibi stat manè Maria vigil,
Nec reperit. Cur suspensam, Iesu optime, tentas
Longiùs? inuisis pone modum latebris.
Non subit in mentem quòd Martha loquentis ab ore
Excepit curis sollicitata domus?
Felix (inquisti) Maria est: illi optima vitæ
Sors cecidit, nullo deripienda die.
Non video, vt vero hæc sententia concinat: illi
Dum dereptus abes, quem lacrymosa vocat.

ANGELVS PRIOR.

Fare, age, dic mulier, quid tot lamenta, quid imo
Pectore singultus, quos trahis ægra, volunt?

ANGELVS POSTERIOR.

Fare, age, dic mulier, cur tot suspiria tristi
Gutture, cur oculis flumina tanta volunt?

MAGDALENA.

He! mihi quàm Iesu cara est iactura! repertis
Omnibus, amisso hoc, nil reperisse reor.

AMOR DIVINVS.

Da legem desiderio, da frena dolori,
Lamentisque graues obstrue læta vias.
Sin, vereor Iesum dolor improbus asperet, vt qui
Fœmineo fleri noluit ipse gregi.
Ecce tibi Angelicas iuuenili in schemate mentes:
Has audi: has comites, dum sinit vsus, habe.
Consilijs has iunge tuis, has inspice: ab harum

Ne latere abſcedas: hæ tua, teque regent.
Ne dubita quin de Ieſu certiſsima portent
Nuncia, & apta tuæ pharmaca triſtitiæ.

ANGELVS PRIOR.

Quid mulier tantùm indulges ploratibus iſtunc
Ad tumulum, mortis quem male rere locum?

ANGELVS POSTERIOR.

Non eſt hæc regio, regnataque regia morti:
Non eſt hæc lacrymis areſacta tuis.

ANGELVS PRIOR.

Viuentûm hic locus eſt. Quid fœmina funera ploras?
Hoc terræ gremio corpora nulla iacent.

MAGDALENA.

Sunt cœlis emiſſa mihi hæc ſolatia? ſunt hæc
Pharmaca mœrores compoſitura meos?
Haccine longorum mihi ſunt fomenta dolorum?
Haccine letiferis eſt apotheca malis?
Sunt oneroſa mihi hæc oblectamenta: faceſſat
Quæ nihil ad morbos hæc medicina facit.
Irrequieta pijs Ieſum ſingultibus optans
Quærito: præque illo cætera vana reor.
Angelicas non fert animus modò cernere mentes:
Angelicis nolo mentibus eſſe comes:
Nam poſſunt augere meos, non demere luctus,
Nec mœſtum penitùs radere corde chaos.
Nec meus admiſsis tantùm expedietur ad aures
Colloquijs, quantùm præpedietur amor.

ANGELVS PRIOR.

Quid mulier ploras? quid te exanimare querelis
Continuas?

Continuas? alio vulnere vulnus alis.

ANGELVS POSTERIOR.

Cur antiqua nouis lamenta doloribus augens,
Promere tristitiæ nubila prima negas?

MAGD. *Fecundo saliunt lacrymati è fonte dolores,*
Quòd Dominum superâ nocte tulere meum.
Et quibus iniectus specubus, latebrisue repostus
Deliteat, miseræ nil mihi scire datur.
Hinc gemo, stoque tenax, viduosque per omnia verso
Flens oculos, vsquam si reperire queam.
Quæro, nec inuenio: clamo, nec inaudior: insto,
Nec prendo: pulso, nemo fores aperit.
Surgam equidem: per quæ potero vrbica compita, circũ
Flectam indefessos, & sine lege, pedes:
Nulli oculos vnquam stat declinare sopori,
Dum meus in viuis repperiatur Amor.
Nunc, ô! nunc oculi lacrymas effundite: iuges
Riui, imbrem scatebrâ suppeditante, fluant.
Ite pedes, vrbem celeres percurrite: vobis,
Donec amore fruar, esto inimica quies.
O! ne me ad tumulum, mea spes frustrare morantem,
Neu mea vota procax differat aura, sine.
Quis verò mihi, quis, tergo, submurmurat auri
Sibilus? ho! iuuenum par quasi fumus abIt.

IESVS.

Quid, mulier, ploras? quem tristis & anxia quæris?
Cur adeò lacrymis vuida triste gemis?

AMOR DIVINVS.

Tune animæ desiderium lugentis, acerbi

Conſcius angoris, quid fleat iſta, rogas?
Arboris affixum trunco, paullò antè ſuam ſpem
Te miſerata, oculo vidit inerte mori:
Iam cur illacrymet, ſcitaris? Ab Oceano Sol
Tertius en primùm vix trahit ortus equos;
Quando tuas medicas animæ, cœlique miniſtras
In cruce conſpexit ſaucia corde, manus,
Atque pedes, quibus afflictos adſperſerat imbres,
Oſculaque impreſſis fixerat antè genis,
Vidit Auernali terebro, clauoque trabali
Transfoſſos: Et iam, quid fleat iſta, rogas?
O bone, quid totâ turbatam mente laceſſis?
Quid magis irritas, vt lacrymata gemat?
Cùm ſibi nulla ſui penitus fiducia reſtet,
Inque tuos iaciat ſe miſeranda ſinus,
In te vnum ſperet, tibi proclinata recumbat,
In te habitet, præ te nil ſatiata velit;
Te quaſi ſublatum tam feruida quærat, vt extra
Se rigeat, veluti ſenſibus orba ſuis,
Præſentiſque tui vultum non norit, vt hoſpes,
Quid velit illacrymans, quid gemat illa, rogas?
Heu! quid eam fictâ celatus imagine ludis?
Qui te quærenti diſſimulare potes?
An niſi diſpellas nubem, quæ obducta tuenti
Caligat, faciem nouerit ipſa tuam?
Euge requiſitos, Ieſu dulciſſime, vultus
Redde: graues longo ſolue dolore genas.
O animæ dolor afflictæ miſerabilis! ô crux
Mixta cruci! ô diuâ de cruce natus amor!

O amor

O amor humano non enarrabilis ore!
O animo nulli concipiendus amor!
Tot modò fœmineo prætendis nubila vultu,
Tantùm hebetes oculos imbre dolente reples,
Tam languenti hauris animi interiora dolore,
Vt modò, quem cernit, cernere posse vetes,
Nec surgentem olli Solem, qui peruius aures
Atque oculos penetrat manè, videre sinas.
O hebetata Maria, tuum si indagine Iesum
Fert scrutari animus, si reperire labor;
Cur facili non dignoscis discrimine Iesum?
Si malè quæris, abest: si bene noscis, habes.
Ecce tibi se quærenti venit obuius: vltro
En prior inquirit, quid lacrymata gemas.
Non tamen intereà Iesum internoscis, at horti
Cultorem, sensu ludificante, putas.
Quanquam etiam hortorum cultor sit cœlicus, vt qui
Terrea cœlesti semine corda serat.
Quique sciens; olitor deiforme fidelibus hortis
Plante tolus, fœto quod simul imbre rigat.
Quem, quia verba tibi miscet per mutua, nosse
Non potes: enectum ne pete: viuus adest.
Nonne ideò instātem fugiens, spernensque vocantē,
Pulsanti patulas noluit esse fores,
Nempè quòd instares hoc indagare, quod esse
Desierat, non quod, semper vt esset, erat?
Prouida quærebas Iesum, neque prouida Iesum
Quærebas: Iesus nunc & adest, & abest.
Magdalin excusare tuam, Iesu optime, nolim:

Illam nescio quis nubilus error habet.
Non omni tamen incuso de parte labantem,
Quam iure excusat par ab amore dolor.
Namque tuum cruce demissum dum conderet urnâ
Corpus, odoratâ collineretque manu;
Ipsa suam tumulato animam cum corpore liquit,
Ne quandoque tibi dissociata foret.
Hinc simul ac tumulo, noctem ducentibus astris,
Digressa est, rediit exanimata domum.
Nunc ubi te, corpusque tuum viduata requirit;
Quærit sese: animam quærit & ipsa suam.
Dumque sibi nunc facta tui iactura sepulti est;
Et iactura animæ nunc sibi facta suæ est.
Quidnam igitur, solitum præter, mirabile, sensu
Si caret hæc; animâ quæ caret ipsa suâ?
Ergò suam redde illi animam, quæ in corpore, Iesu,
Tota tuo est: sensus repperietque suos.
Tum fidei tenebræ ad purum extergentur, & illam
Sole tuo innubem mæsta relinquet hyems.

IESVS. *Quid, mulier, ploras?* MAGD. *Dominum rapuêre: nec illum*
(Hinc illæ lacrymæ) quò rapuêre, scio.
Quò varias raptam in partes, quò me usque fatigas?
Ancipitesque animos ore silente facis?
Dic, age, si nocturnâ illum subtraxeris umbrâ,
Corpus ubi abstrusum est? quæ tegit illud humus?
Hoc ubicunque loci posuisse fatebere, tollam
Inde: nec ullius tarda pauebo metu.

AMOR DIVINVS.

Quæ de te sibi plena tui fiducia, Iesu,
Assonet, arrectâ pronior aure bibis?
Ecce, tuum, gazâ locuples Iosephus, inaudax
Illustri trepidat corpus humare die.
Antè nuit Pilatus, & intempesta cadit nox,
Quàm cruce diuulsum te tumulare paret:
Nil tamen hîc Pilatum horret, noctemue moratur
Magdalis, algentem nescia ferre metum.
At (quæ magna tui est illi fiducia) tollam
Illum, ait. O! quanto fœmina corde cluis!
Si mediâ Iesu corpus tegeretur in aulâ
Pontificis, famulos inter & arma cubans,
Hîc vbi Petrus Apostolici Dux agminis igni
Adstitit, articulos dum glaciaret hyems;

MAGDALENA.

Inde (Phariseûm moueor nec legibus vllis,
Armorumue minis, Pontificisue metu)
Inde ego eum tollam. AMOR DIVIN. *Nec adhuc percellit inertes*
Fidenti hæc fidens fœmina, corde viros?
O animum non fœmineum! Mirerne virilem
Fœmineâ in formâ? ô non mulier, mulier!
At si fors ancilla sagax occurrerit, ac te
Discipulam Christi mussitet; ecquid ages?
MAGD. *Non ibo inficias.* AMOR DIVIN. *At enim si corpus Iesu*
Deliciæ lateant hîc tuæ? MAGDAL. *Et inde feram.*

AMOR DIVINVS.

Quid si Pontifices inter plebemque ministram
Deliteat cinctum milite? MAGD. *Et inde feram.*

AMOR DIVINVS.

Quid si raptandum dederint auibusue, ferisue?
Et modo deripiant dentibus? MAGD. *Eripiam.*

AMOR DIVINVS.

O mulier, quàm magna tua est constantia mentis,
Magna fides, magnus nil pauefactus amor!
Quin ais, ô Iesu verborum oblite tuorum,
Fide tuâ mulier non malè fida fide.
Eia, age, tolle moras, abrumpe silentia, fare
Quo te sub cœlo, quâue locaris humo.
Ne, prece quod supplex ambit, concedere differ,
Neu desiderij protrahe vota sui.
Nam solidos tres ecce dies deserta sepulcri
Per loca, te, intacto, sustinet ægra, cibo.
Iam nec habet quò dentem animæ conuertere, quóve
Possit inexpletam pane leuare famem.
Aegrescet magis illa, tuo nisi corpore præsens
Pascatur, media deficietque via.
Eia age, te, pulsa dubiæ caliginis vmbra,
Cernat, & ambrosiam sentiat esse dapem.
Te tandem æthereo pane exsaturata, remensas,
Esurie posita, gaudeat ire vias.

IESVS.

Vincor inexhausto lacrymarum flumine, longâ
Vincor præfracti sedulitate status.
Vincor inabrupto crebræ precis ariete, vincor

Pronis

Pronis in me oculis, moribus, aure, pede.
Vincor amore mei, sine more per ossa, per artus
Fœmineos, rapidas inijciente faces.
Vlteriùs nequeo mœstæ solatia menti,
Protelare, suo ne cadat aucta malo.
Illi igitur certum est me prodere voce: Maria.
MAGD. *Rabboni!* IESVS. *Caue sis tangere: tolle manum.*
Nundum etenim ad Patrem cœli conuexa per auras
Ascendi, victrix quò mea palma vocat.
Nunc tibi quando data est facilis mihi copia fandi,
I celeri ad fratres nuncia calce meos.
Atque illis auidas hæc dicta ferenda per aures
Certa meæ vitæ signa fidelis habe.
Ecce ego libratum penetrante per ardua lapsu
Sidera corpus agens, haud mora, tollor humo.
Sat vobis, terræque datum. Post funera victor
Ad Patrem ascensu molior ire nouo.

MAGDALENA.

Tam citò me visu in medio & sermone, Magister,
Deseris? & mœstam, ceu leuis aura, fugis?
Christe tui desiderium sublime lacessis,
Non saturas: auges, non, velut antè, leuas.
Incassum fugientem oculis & voce sequuta
Imploro: in nubes irreuocatus ijt.
At verène mihi se verâ in luce videndum
Obtulit? &, qui, dum viueret antè, fuit?
An visæ prætenta cauâ sub imagine formæ
Vmbra (sibi qualem fingere sueuit amor)

Turbauit penitus lacrymatis ebria gemmis
Lumina, & enubem visum, animamque tulit?
O! ego quas anceps vmbras, quæ somnia fingo?
Quæ simulacra, fidem ludificata, creo?
Nam neque larualis vestigia protulit vmbræ,
Nec vani specimen corporis ore dedit.
Nec velut aßimilata hominis redeuntis imago
Effudit vacuos, ac sine mente, sonos.
At qualis fuit hospes, habens consortia nostræ
Tecta domus, cœli dum reseraret iter,
Talis in abscessu cùm iam disparuit: vlla
Nec nota, discrimen quæ leue ferret, erat.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Sic bene maturo nouerat ire gradu.
Sic vbi me solito Mariæ de nomine blandus
Compellabat, iners quanquam in amore forem,
Tristitiâque reses, mox inflammabar amore,
Lætitiâ tristes excutiente moras.
Nunc adeò notâ postquam me voce vocantem
Adstantemque silens aure oculoque bibi;
Protinus externato omni de corpore lentus
Mæror abit: subeunt gaudia: viuit amor.
Exsaturatur amor: amor emicat ebrius: vrit
Pectus amor: se se non capit intus amor.
Marcida mens mea iam respirat amore, calensque
In moribunda priùs spiritus ossa redit:
Nunc equidem (neque vana fides) Dominum esse fatebor
Quem medio vidi fulgere certa die.

Ille

Ille obitâ nunc morte iterum ſpirabile cœli
Verè haurit lumen: de nece victor ouat.
Agnoſco, & ſupplex manifeſtum Numen adoro,
Quod venerata, ſinet dum mea vita, colam.
Quin verò, quin iuſſa ſequor? quin ocyor Euro
Perfero Apoſtolico nuncia læta gregi?

AMOR DIVINVS.

O inſueta, inopina, ingens mutatio diæ,
A quâ res hominum ſtantque, caduntque, manus!
Vt ſibi ſuccedunt immenſo immenſa dolori
Gaudia, conuerſas euariantque vices!
En rediuiua Maria ſuum cùm nomen inaudIt,
Viſa eſt lætitias carpere mille ſinu;
Nec ſcio, quâ, præter ſolitum, dulcedine geſtIt
Indocilis, Ieſu plura parante, moræ.
Ille, Maria, inquit: vocem ipſa loquentis ab ore
Læta rapit, Ieſum plura vetatque loqui.
Nulla ſibi, vt retur, verbi eſt penuria, Verbo
Inuento: neque, quod plura requirat, habet.
Præquàm audire, manu Verbum contingere, cenſet
Vtilius: quid enim plurima verba iuuent?
Expleri mentem ſatis, inſatiata potitis
Ieſu colloquijs, intuituque, nequit.
Ieſu etiam affectat, ſinuato poplite, tactum,
Quem morbis medicam ſenſerat antè manum.
O mellite fauum ſupra, dulciſsime Ieſu,
Quàm cœleſti epulo, delicioque beas!
Felices animæ, quas intima ad ilia telis
Fodit Amor: Ieſum, dum potiantur, auent.

Nunquam

Nunquam illis resides oculique, pedesque, manusque
Lentescunt: tristes sunt in amore moræ.
Spicula libro: vtinam pateant in vulnera mentes,
Quas malè damnosa carne venenat amor.
Væ, væ animis, qui stant, vt ahenea pectora, contrà,
Nec faciles nudant ad mea tela vias.
Væ, væ animis, philtro quos mũdus inescat amorum,
Quos furiat potus de Babylone calix.
Væ, væ animis, quos egelidos non calfacit æstu
Hæc Iesu in rapidam fœmina versa facem.

Deo, Beatæque Magdalenæ gloria.



LVCTA

LVCTA CARNIS
ET SPIRITVS
IN SANCTI
AVGVSTINI
CONVERSIONE.



PROSOPOPOEIA PROLVSORIA.

PERIOCHA.

Diuina Misericordia post allatam sui de cœlis in terras aduentus causam, vrget mortis & iudicij Timorem, ac peccatorũ admissorum Pudorem, vt solito vehementiùs Augustinum ad meliorem vitam incitent: inde summam dramatis, ludionibus per proscenium inambulantibus, exponit.

MISERICORDIA, TIMOR MORTIS, PVDOR PECCATORVM.

MISERICORDIA.

Conspicui virtute viri, stabilesq; colũnæ
Neruiadûm, arrectumque oculis in scenica vulgus,
Multa salus vestros animos & corpora seruet.
Et verò priùs in scenâ quàm ludio ludat,

Nomen

Nomen habete meum, & patriam, causamq; theatri
Istius, orchestræque nouæ. Mihi patria cœlum est,
Clementisque Dei penitißima viscera semper
Insideo, præsensque fero mortalibus ægris
Subsidium: vnde vocor Miseratio. Cœlitùs autem
c. 8. l. 7. Cõfes. *Illabor terris miserari cerea, vt vno*
Exemplo, genus humanum, dum copia facti est,
c. 3. l. 3. Circumuolabat super me fidelis à lõgè misericordia tua. *Erudiam, quantis operæ conatibus instem*
Errantes reuocare animas, rectoque repostas
Tramite, felici lætas inducere cœlo.
Nunc verò ille, cui rigidi stant vertice crines,
Qui, glaciante gelu vultum, tremit exsternatus,
Iudicij Timor est, & mortis. At alter, incertes
Qui faciem furuâ tinctus fuligine figit
Turpiter humo, sine more, oculos, qui sordibus oris
Velandis læuam intendit dextramque: suorum
Est scelerũ & maculatæ animæ, quam conscius horret
Ac refugit spectare, Pudor. Sed fortè rogabor,
Quid veniant? Ambos iam tum à puerilibus annis
cap. 7. l. 8. Confes. *Ire Augustino comites, & iniqua ruentem*
Amenter per luxuriæ diuortia, iußi
Ad castæ virtutis iter reuocare monendo,
Increpitando, vrgẽdo virum. Nunc porrò morantem
Plus nimio errorum tortas exire vias, vi
Deinde premãt propiùs, stimulentq; frequẽtius ambo
cap. 11. l. 8. Confes. *Efficiam, & miserans, geminabo flagella Timoris*
Atque Pudoris. Abi celeri pede fide satelles:
I Timor, i Pudor: ite ambo, oblitumque salutis,
Pestiferisque hamis & amoribus irretitum

Fœmineis

Fœmineis Augustinum, certantibus inter
Vos stimulis agitate, suos vxorius ignes
Vt restinguat, & æthereæ noua semina flammæ
Concipiat, diuoque calens aspiret amori.
Hoc matris gemitus, lacrymataque flumina poscunt:
Namque nefas pereat soboles; quam à funere tantis
Mœsta parens reuocat lacrymis. Ne verò morantes
Vltro fas generem vobis fastidia verbo,
Quæ sit inauditi complexio dramatis, arctè
Expediam: intereà este mei aure, oculoque sequaces.

Confes. l. 3. c. 12. Vade à me: ita viuas: fieri enim non potest vt filius istarum lacrymarum pereat.

Perioche dramatis, interambulantibus vicissim ludionibus, quorum partes perstringit Misericordia.

Ecce tori viduata sui consorte marito,
Sobria, casta, pia, & rerum terrestrium inanis
Monica, Tagastæ patrios egressa penates,
Perque mare ac terras, Lybicosque, Italosque recessus
Emensa ingenti vitæ discrimine, donec
Certa metus Mediolani consisteret vrbe,
Multa gemit, Christum obtestata, virosque fideles,
Densa quòd errorum dispellere nubila differt
Augustinus, & ad fidei contendere lumen,
Cùm propè terdenos æui compleuerit annos.

cap. 11. l. 3. Confes.

cap. 7. l. 4. Confes. cap 1. l. 6. Cõfes c. 9. lib 5.

cap. 12. l 3. Confes. c. 11. l 4 c. 3. l. 2. c. 8. & 9. l. 5.

Qui verò subeunt Monicæ in proscenia terni,
Hinc vir Nebridius natus Carthagini, & illinc
Alipius, mediusque duûm grauis Augustinus,
Accipient aliquando fidem, Christumque sequentur,
Post ingẽtem animorum æstũ, & quæ plurima captãt

Confes. & 10. l. 6.

Con-

Cap. 13. l. 5. Confeſ. & c. 5. l. 6 c. 2. l. 8. Confeſ.

Conſilia Ambroſij ſcenam egredientis amico
Hortatu atque vſu, & ſtudijs operaque ſequentum,
Quorum nomen hüic eſt Simplicianus, *& illi*
Confeſ. c. 6 l. 8 Potitianus. *At Ambroſij qui paſsibus hæret*
Aedituus, Diuûm ad tumulos ſua dona ferentem
Confeſ. c. 2 l. 6. *Monicam ab ingreſſu templi prohibebit. Et iſta*
c. 5 l. 8 Confeſ. *Nata recens Auguſtino meliorque Voluntas*
Pugnabit veteri, Carniſque mouebit amores
Calcandos. Contrà inſurgent crebra impete nugæ
Confeſ. c. 5 lib. 8. *Nugarum, Conſuetudo, inueterata Libido,*
Et vis humanâ non eluctabilis arte
Iniquitate claudicans Neceſsitas,
Confeſ. l. 6 c. 6. Inhiabam honoribus, lucris, coniugio. *Speſque lucri, ac tumidâ temerarius Ambitus aurâ,*
Illicibuſque ſuis Caro cincta, & vana Voluptas
Seruitij immanis faciles fidique miniſtri,
Qui pleno ſeſe oſtentant, per inane, theatro.
Aduerſum hos veniet caſto inſignita decore
Diua, gregem quæ virgineum prætendet, ibique
Indecori offuſus, victuſque Pudore, Timoreque
Horribili impulſus volet Auguſtinus eandem
Ire viam, cœtu non inferiora ſequutus
Fœmineo, duplici quem palmâ effulgere cœlo
Cernitis. Ac monitis tandem cœleſtibus actus,
Confeſ. l. 8. c. 5. *Ad quæ illum impellet meliorq; recenſque Voluntas,*
Carnis, & immundi Mundi vincla omnia rumpet.
Feciſſetque diu, toruo niſi lumine dirum hoc
Seruitium, ſtrictè geminis vinctum ante catenis,
Tanquam indiſruptis illum tenuiſſet ab anſis.
Qui verò poſtremus abit mendiculus, omnes

Ante,

Ante, Augustinum populi reuocabit ab aurâ, Confes.c.8 l.6.
Quam torrente, fluens verbo, venabitur ore.
Hæc summa est: pronos animos adhibete: videte
Quanta Dei in genus humanũ est miseratio: quantũ
Illud ab illecebris mundi, carnisque, laborat
Abstrahere, & felix opulentò inducere cælo.



ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

MIsericordia proponit populo spectandum Augustinum, Timore ac Pudore sapientibus Consiliarijs stipatum, quem ab vndevigesimo suæ ætatis anno vsque ad trigesimum, ligatum nõ ferro alieno, sed ferreâ suâ voluntate, Libido, Consuetudo, Necessitas ac Dura Seruitus, ad Lucrum, Honorem, & Voluptatẽ carnis trahunt, licet renitẽtem,

MISERICORDIA, AVGVSTINVS, LIBIDO, CONSVETVDO, NECESSITAS, DVRA SERVITVS, LVCRVM, HONOR, VOLVPTAS CARNIS, TIMOR, PVDOR.

MISERICORDIA.

Conspicite: en spectãda graui primordia lua
Impositurus in orchestrã venit Augustin⁹.
Quem longo peccandi vsu solidata Libido,
Et vis humanâ non eluctabilis arte
Iniquitate claudicans Necessitas
Confes.l. 6 c.6. Inhiabam honoribus, lucris, coniugio. *Implicitum vinclis rapiunt ad Carnis, Honoris,*
Et Lucri studium (subtiles dæmonis hamos)
Quo trux Seruitium trahit, à quo principe, vincla
Hæc Augustini vertique, regique videtis.

LVCRVM.

Confes.l.4 cap.14 & l. 8.c.2. *Huc oculos, huc flecte pedes, animumque, manusque*
Augustine: vide me, cuius ope atque fauore
Romæ Oratorum clarißima lumina, densi
Ter gemino populi plausu, fremituque secundo
Vrbis honoratos fasces, nomenque relatum
Infastos, statuasque suæ virtutis, & oris
Facundi æterno spirantia signa metallo
Sunt meriti. Tentanda via est, quà te quoque poßis
Tollere humo, celebrique virûm increbrescere famâ.

VOLVPTAS.

Dum Lucro incumbis, dum consectaris honorem
Augustine, vide me, cuius ab vbere lac, mel,
Vina fluunt, quorum vbertim lactabere suâui
Delicio, Lucri (quod aues) laudisque diurnâ
Defunctus curâ: LVCRVM. *Nihil, Augustine, morare.*

Confes.l 5. c.8.&12. *Quid pendes animi dubius? vacat hic tibi Lucro*
Diuitijsque locus præquàm antè patentior vrbe

In

In patriâ Romæque scholis latialibus, in quas
Immoderata, effrena, exlex, audaxque Iuuentus
Assuêrat sese effronti protrudere vultu,
Atque ipsos morum artifices, linguæque magistros
Perturbare, scholisque suis decedere nullâ
Doctrinæ cultusque sui mercede solutâ.
HONOR. *Augustine tuis oculis memor obijce linguã*
Isocratis, pondus Demosthenis, ora Periclis,
Vim Lisiæ, succum Hipperidis, Sûadamque Cethegi
Suâue-loquentis, & eximio cum pectore linguas
Flexanimas, quibus, in terris post funera, viuunt
Flaminius, Gallus, Crassus, Cato, Varro, Metellus,
Sulpitius, Gracchus, Paulus, Galba, Aelius, atque
Fuluius, & reliqui, quos fama vetusta recondit.

LVCRVM.

Quantus eris, cùm tanta tuum tibi gloria lambet
Circumfusa caput! quantus, cùm argentea, Lucro
Velificante, domus fulgebit, & aurea plenis
Muneribus! VOLVPT. *Quàm tùm carni indulgere vacabit,*
Augustine! quid ancipiti stas ore? morarum
Difficiles perrumpe obices, auidusque require
Quæ spectatus Honos, Caro mollis, amabile Lucrum
Tanta tuas in delicias tibi munera spondent.

AVGVSTINVS.

Hinc lutei male sana sitis, spesque impia Lucri,
Quę simul ac auidis manibus comprenderis, illas
Polluis; *hinc abscede: mihi satis hactenus aures*

Vellisti. LIBIDO. *Quid ais, miser Augustine? ne quibis*
Fœmineos, calido quos pectore concipis, ignes
Enutrire, nec hunc, ad quem propensus Honorem
Incumbis, valido quamuis, contingere nisu,
Si, quod agis, desiderium restinguere Lucri
Occipies. CONSVETVDO. *Lucri amplexu te auellere posse,*
Augustine, putas? nimium nunc inde iuuentâ
A tenerâ inualuit: durum est defringere spiras,
Et nodos, quos hoste tuo instigãte, Voluntas
Confeſ. l. 8. c. 5. Ferrea, & inde oriẽs sensim peruersa Libido,
Atque ego Consuetudo vetus (quę principis in te
Naturæ vim possideo) fabricauimus arte
Subtili, vnde volens nequeas exire. NECESSITAS. *Necessum est,*
Augustine, velis, nolis, incumbere Lucro.

LVCRVM.

Augustine, quid à nostris amplexibus horres?
Ne credas ponendum aliquid discriminis inter
Vnguenta & corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. AVGVST. *O lenocinijs fallacibus vrgens*
Mortales animos illex! ô hamus inescans
Confeſ. l. 5. c. 12. Lucrũ luteũ quod cũ apprehenditur, manum inquinat. *Blanditer, incautumque oculum sollerter inhamans!*
O lentum appriméque tenax ad pectora viscus
Argenti desiderium, Lucrique cupido!

PVDOR.

PVDOR.

Est pudor ingenuum Lucro desigere curas,
Augustine: tuos aliò conuerte labores.

TIMOR.

Vsque adeóne retusus, iners, malè tardus, hebesq; es,
Vt nequeas tecum tacito perpendere sensu,
Quòd te ipse approperes opulento excludere cœlo,
Terrestres dum thesauros vigilantior ambis?
AVGVST. *Erubeo dum me intueor, cernoq; tot annos*
Turpiter indulsisse Lucro, vilesque sequutum
Artifices, tanto studij molimine questus
Vestigasse. Malo posthac medicabor, eoque
Liber ad eximios Veri connitar amores.
NECESS. *Perdis opus: Lucri non eluctabere voto,*
Namque necesse volens, nolensue sequare trahentē.
LIBIDO. *Ecce diu nostræ sentis te assuescere legi:*
Et facili, te, quando voles, dissuescere nisu
Posse putas? SERVITVS DVRA. *Velut in stipulà, sine viribus ignis,*
Nequidquam trahis ingratum, Augustine, laborem:
Quippe, meo te seruitio haud exire licebit.
VOLVPT. *Indulgere mihi nequeas vxorius, atque*
Quos dedero cum laude tuos educere natos,
Ni victu assiduo inuigiles, lucrumque capessas.
Tantùm adeò cum coniugio per mutua Lucrum
Nectitur, alteriusque in opem coniurat amicè
Alterum. HONOR. *Honos etiam vix dissociabilis, ambo*

Affector: te proinde mihi diuellere nunquam,
Augustine, potes. AVGVST. *Tria fortia vincula strictè*
Nodo indiuulso retinent me, vt sentio, vinctum:
Quóque mei vis iudicij demonstrat eundum,
Ire vetant, donec ratio violentior instet,
Ac spiras quibus impedior, nodósque refringat.
Hac igitur de re præsens in tempus omitto
Consilium. TIMOR. *Damnosa mora est: ne differ in horas*
Venturas, quod iam pateris medicabile vulnus:
Sin, grauiter, serò, in tantum tardasse dolebis.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

MOnica vidua, spe iam alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, ad Deum fontem misericordiarum preces & lachrymas densiores fundit, vt filio suo Augustino veritatē cum socijs indaganti, adiutorium acceleret, eiusque tenebras illuminet.

MONICA sola.

cap. 11. l. 3. Confes.

SPes mea Christe, cui primis innitor ab annis
In rebus votísque meis experta secundos
Progressus, vbi sancta mea tibi cura recessit

Prolis?

Prolis? vbi es iam illi pater implacabilis? atrâ
Nocte per errorum tenebras, per nubila fraudum,
Perque voluptatum salebras, & lubrica mundi
Ecce ruit, grege cum socio, sine lumine, teque
Vestigat, quæritque foris, neque repperit vsquam, Confef. l. 6 c. 1. Inuenit me periclitantē grauiter desperatione indagādæ veritatis.
Iamque adeò solerte stupens indagine Veri,
Diffisusque tui, ceu desperante profundo
Mergitur.



SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

AVgustinus cum Nebridio & Alipio ab vnâ proſcenij parte, ad audiendum Ambrosium Mediolanēsem Episcopum, reiecto Fausto Manichæo, de veritatis inquisitione, vitâque mutandâ sollicitus, fiduciæ tamen plenus tendit. Alterorsum dum feretro suæ cogitationis elatum Christoque resuscitandum commendat Monica; cernit eum ad Ambrosium proficisci: quæ causa est cur ad eum Deo commendandum incumbat magis.

Remanet MONICA interuenientibus AVGVSTINO, NEBRIDIO, & ALIPIO solicitis.

AVGVSTINVS.

Confef.l.5. c.13. & 14 Confef.l.6. c.1.

Inc aliquam, credo, sperare salut. —
Possumus. MONICA. *Hoc, terras illum & maria omnia circum*
Vecta sequor? ALIPIVS. *Quando Ambrosio suspendimus ora,*
Longè aliter poti illius satiabimur ore,
Quàm Fausti eloquio. NEBRID. *Fausti fastidio: captor*
Ambrosio. MONICA. *Dum Romuleis à mœnibus vrbem*
Melanam appeteret, reuocandum à morte per artem
cap. 1 l. 6. Confef. *Ambrosij (cui flexanimo vis plurima in ore est)*
Credideram: sed adhuc nöxis immortuus hæret.
Quanquam oculis tandem excussit caliginis vmbras,
Quas Manichæi quondam illi offuderat error.
Restat vt innubes radios, penitusque retersum
Lumen inexperti Veri (ne retro relictam
In noctem ruat) affundas. Miserere ministræ
Confef c.4 lib.5. *Christe tuæ.* AVGVST. *Nunquam Ambrosij demitto per aures*
Verba meas, nisi cum verbis res influat. ALIPI. *Illa est*
Vis oris. MONICA. *Miseræ miserere in funere prolis,*
cap. 1 lib. 6. Confef. *Quam supplex ego votorum lacrymante meorum*
In feretro tibi cælestis pro munera vitæ
Offero: Christe tuas mea vox, sine, personet aures:
Vnigenо viduæ iuueni dic, surge: reuiuat:

Inci-

Incipiat notas audire, & reddere voces:
Restituas illum traductum à funere matri.
Ecce autem querulis dum vocibus æthera pulso,
Anxius ipse suo stipatus vtrimque sodali, Confeſſ.l.5. c.13 14.&1. l. 6.
Progreditur fortè Ambrosium de mole suarum
Curarum consulturus. Da Christe ministro
Verba tuo, quæ nati oculos, abeuntibus vmbris,
Illustrent splendore, nouo inflāmentque calore.
ALIPIVS. *Quàm vario quatimur fluctu!* NEBR. *quas nostra procellas*
Corda ferunt, dum multiplici (ceu nauita vento) Confeſſ.l.6 c.11. Deliberat August. cum suis de vita instituēda.
Distrahimur curâ, Verumque inquirimus. ALIP. *In quas*
Reÿcimur cautes dispulsi à cautibus. AVG. *Angor,*
Dum tantas obtendi oculis præsentio nubes,
A quibus impedior Verum discernere! tot me
Annorum per lustra, chao, & caligine volui!
Sic Fausti implicitum tenebris! Quonam vsque tenebor
A falso? quonam vsque mihi mens nubila cæcos
Per gyros ruet in non extricabile damnum?
ALIPI. *Sat Manichæis indultum est fraudibus.* NEBRID. *Vna,*
Quam docet Ambrosius, Veri via perplacet: illam,
Haud mora, corripiamus, in hac constante moremur
Fixi animis. AVGVST. *Breuis ista tuæ est sententia mentis,*
Consilium breue; quod tibi ne dispendia tandem
Exitiosa ferat, reputo, moneoque trahendum

Lon-

Longiùs. An non quæ trepido properanda tumultu
Sæpe forent, immensa ferunt compendia fructus
Quando ça maturare datur? ALIPIVS. *Fortasse morantes*
Insidiante gradu non intellecta repentè
Ex positis mors insidijs nos impetet. AVGVST. *Hora*
Incerta est: tamen intentos melioribus, æquis
Spero oculis Deus aspiciet. Proinde omnia contrà
Quæ se offerre solent spinosa negotia, longos
Amfractus, dubiasque vias ineuntibus, hortor
Sedulius, grauius, maturius expendamus
Quæ tentanda salutis erit via proxima nobis
Tutior, vt semel ingressam felicibus orsis
Fine peroptato stabiles claudamus. ALIPIVS. *In omnem*
Quo-te-cumque trahit partem sententia, victus
Perferor. NEBRIDIVS. *Ipse etiam concors inclinor eodem.*

AVGVSTINVS.

Eia ergò Ambrosij venerandi Antistitis ædes
Ingrediamur: ibi simul ac data mollia fandi
Tempora erunt, illum secreti ambire loquendo
Nitemur. NEBRIDIVS. *Ne multa virum distractio fortè*
Distineat (quod ei solitum) formido. ALIPIVS. *Remissis*

Ille

Ille, scio, intermissa lubens dabit otia curis:
Nãq; Augustinũ deamat. AVG. *Nec te asper inaudit.*



SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

INgresso Augustino cum socijs Ambrosij domum, vt fontem aquæ salientis in vitam æternam bibant, Monica rogat Christum, ipsis potum atque escam tẽpore opportuno subministret: quod intercurrẽte ęgritudinis acriore periculo, spei plena dum præsagit; se ad memorias Sãctorum, sicut in Africâ solebat, pultes & merũ deportãdũ, accingit.

MONICA sola.

CHriste, vides? paribus trepidant vestigia cursus, cap. 1. l. 6. Confes.
Singultu interrupta pari suspiria frangunt,
Ora pari diducta ferunt ad flumen hiatu,
Flumen ab Ambrosij torrente quod exilit ore.
Christe salutiferam da illis sitientibus vndam, Confes. l. 6. c. 10. & erãt ora trium egentium &c.
Da tempestiuam validè esurientibus escam.
At quid ego fando metas prætervehor? Istæc
Sufficiant: nam deinde mihi spes addita certa est,
Cùm tales animos iuuenum, tamque integra morum
Pectora pro socio vitæ sibi copulat vsu
Augustinus, cum grauis à discrimine morbi

Ad

cap. 1. l. 6. Confes. *Ad vires animæ portumque salutis iturum*
Tanquam (vt ait medicus) critico accedente. Sed ecce
Antistes natum secretam affatus ad aurem,
Egreditur. Vereor ne multa negotia rumpant
Colloquium: iucunda tamen frons Præsulis addit
Spem mihi successus felicis: vt omnia voto
Conspirent, animoque meo concordia cedant,
Ibo domum, & Lybiæ gentis de more, parabo
Solennes epulas, sacram reuerenter ad aram
Dona meâ portanda manu, quibus inclyta raptim
In memores reuocem sensus, celebremque trophæa
Sanctorum, qui Christi olim pro nomine, fuso
Sanguine, martyrij æternas meruere coronas.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

Abeunte Monicâ, interloquuntur S. Ambrosius & Augustinus, inter se ad aurem conferentes, non sine admiratione Nebridij & Alipij.

AMBROSIVS, AVGVSTINVS, NEBRIDIVS, & ALIPIVS.

AMBROSIVS.

cap. 13. l. 5. Confes. *Pro re pauca quidem hæc: Verùm pro tempore abundè*
Multa: vocat me namque Valentinianus
ad

ad aulam,
Quod differre nefas:potero opportuniùs omnem
Ancipitem ſcripturæ huius diſſoluere nodum,
Cùm mihi regrediere. AVGVST. *Tuæ eſt,ampliſſime Præſul,*
Gratiæ inexhauſtos mihi tot ſpondere labores:
Intempeſtiuus tamen interrumpere curas
Et grauium ſtudiorum operas, quas nauiter vrges,
Subuereor. AMBROS. *Non eſt labor interrumpere curas,*
Dum cauſâque Dei, cauſâque ſalutis, amico
Subciſiuam vnam, quaſi furtim, impertior horam.
Deinde verecundum pone, Auguſtine, timorem:
Cumque animi premet anxietas, interue legendum
Flexiloqua, atq; obſcura oculis (quæ plurima cernes)
Occurrent tibi verbà, nihil te publica, quamuis
Seria quæ ſoleo tractare negotia, tardent.
Me fidens & liber adi: tibi libera ſemper
Semper aperta domus foris, & penetrale patebunt.
Namque es amicus, & in reliquis gratiſsimus vnus.
Iam patienter habe quòd ſeuocor: exeo: ſalue.

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

Egreſſi, Ambroſij grauitatem, conſtantiam, virtutem, & vim in dicendo, Auguſtinus, Alipius, & Nebridius admirantur.

Abeunte

Abeunte S. Ambrosio, remanent AVGVSTINVS, NEBRIDIVS, & ALIPIVS.

AVGVSTINVS.

Quanta viro grauitas! ALIPIVS. *Quanta est constantia!* NEBRID. *Quanta*
Eloquij virtus! quàm ditia scrinia docti
Pectoris! ALIP. *In quantos hominum præcordia motus*
Impellit! NEBRID. *Quanta est oris facundia!*
AVGVST. *Multa est,*
Doctaque, Nestoreique instar sermonis in aures
cap. 13. l. 5. Confes. & cap. 14. *Instillata, animos ferit: at quàm oratio Fausti*
Demulcet minùs, exhilaratque remissiùs. ALIPIVS. *Illa*
Vinula, blandula, comptula, suâuicula, arida planè,
Iuncea, straminea & mendax, quid detinet? aures,
Et sensus: hæc Ambrosij solida, integra, plena
Succi, adipisque, acris, neruosa, volubilis, vrgens,
Feruida, pertentat, docet, imbuit, instruit, implet
Attentos animos, aduersâ sorte cadentes
Erigit, inclinat stantes, capit aduersantes.

AVGVSTINVS.


In tua verba, Alipi, facilis propendeo: verbis
Namque suis inclinatum me in crimina sensim
Paulinus in vita Ambrosij. *Erigit, inclinat stantem, capit aduersantem.*
Credo equidem (neque vana fides) Diuâ arte puello
Effictum os, quod Pontificis seruaret in vsus.
Nam perhibent Romæ (si ritè audita recordor)

Eius

Eius, apes denso innocuas examine cunas
Et faciem leni circùm volitasse susurro,
Perque vicem infusas (dictu mirabile) apertum os
Dum stratus vagita infans cunabula somno
Lamberet: extemploque patre ac genitrice ministrisq;
Attonitis trepido cœli per aperta volatu
Lumina spectantûm fugisse sequacia. NEBRID.
Miror
Hîc duo monstra, examen apum recubantis in ora
Delapsum, Linguamque viri Suâdamque loquentis.

AVGVSTINVS.

Miror ego tantas illum circùm vndique turbas Confes. l. 6 cap. 3.
Mane salutantûm obruere, vt sperata facultas
Alloquijque, & consilij breuis hora negetur.



SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

Monica pultes & merum ad Sanctorum memorias delatum pro Augustini conuersione, cùm vetuisse Ambrosium ab Æдituo intelligit, pauperibus erogat.

TYPHLVS, CHOLVS mendici, MONICA, & HIEROPHYLAX Æдituus.

CHOLVS.

CHOLVS.


Typhle sali: namque ecce tuis accomoda votis
Humanâ locuples pietate apotheca propin-
quat.

TYPHLVS.

Quid vacuos ventrem & loculos, apotheca iuuabit,
Si largè donata meos non cedat in vsus?
Sit quæuis apotheca potens, tuque ipse labores
Esurie; tanto euades opulentior? CHOLVS. *O ho!*
Typhle parum mea verba capis: quæ namq; propinqua
Ante tuos oculos dicta est apotheca, fragrantis
Non est vnguenti viniue taberna, sed oris
Munificique animi locuples apotheca, propinquans
Monica. TYPHLVS. *Nil ego, Chole, quidem, nil*
tale putaui.
Cùm nobis tamen illa potens apotheca propinquet,
Euge propinquantes simul argentaria ab illâ
Gratuito aut precibus nobis vnguenta paremus.

CHOLVS.

Ergò meo incumbens humero, mi Typhle, propinqua;
Pauperiemque aperi, quæ te premit. TYPHLVS. *Ad-*
lubet: ingens
Hic eleemosynæ mihi spes affulget. CHOLVS. *Abiuit.*
TYPHLVS. *Ludimur.* CHOLVS. *Hîc cunctare:*
breui retrouertet. MONICA. *Abundè est*
eip. 2 l. 6. *Prouisum: de more sacris libanda sepulcris*
Confess. *Stipato imposui panem pultemque canistro.*
Restat ad Ambrosij sacrosanctam altaribus ædem
Maturem, quando hora sinit, vestigia. HIERO-
PHILAX.

PHILAX. *Quò te*
Hierophilax? satin est templi accurata supellex?
Nil, reor, immemori exciderit: namque ordine pendent
Cuncta suo: nil dêesse reor: tamen omnia gnaui
Aeditui officia & curas mecum ante reuoluam
Sedulius, quàm procedam pede longius, vt si
Quæ fuerit facili commissa incuria casu, hanc
Emendante superueniens industria limâ
Restituat. Quò verò suos onerata canistro
Monica declinat gressus? quid concipit? illi
Obuio, quidue petat, quò tendat onusta, requiro.
Cûi prætendis onus, quò te via ducit euntem
Monica? MONICA. *Solennes epulas & pocula, sanctos*
Ad tumulos Diuûm, qui martyre sanguine Christum
Testati, cælo æternas meruere coronas,
Affero. HIEROPHILAX. *Cum grauido gressum retroflecte canistro:*
Talia nam templis inferri fercula Præsul
Ambrosius planè vetuit, ne sacra profanent;
Idque per edictum nulli violabile cauit.

MONICA.

Nec violare velim. Verùm hæc solennia, prisco
Has ex more dapes, quas Africa terra celebri
Instituit cultu Diuûm pro nomine, simplex
Credideram simili delubra per Itala ritu
Seruari. HIEROPHYLAX. *Non fert tales terra*

Itala mores:
Imprimis ne quis modici malè munera vini
Transiliat, cyathis dum laxior incubat aras
Ad sacras: neu Gentili contage fideles
Vana superstitio incestet, dum vina sepulcris
More parentantûm affundunt, mensasque reponunt.
MONICA. *Nulla (fatebor enim) me istæc ad munera cogit*
Ebrietas, neque vana fides, veterumque Deorum
Cæca superstitio, vt dapibus vinoque parentem,
Instigat, sed amor Christi, & sanctissima Diuûm
Relligio, quam testati per tela, per ignes,
Perque feras, hilares mortis discrimine paruo
Proiecere animas, cœlumque iniere beati.
At quando vetat hæc inferri munera templis
Præsul, ego ista lubens ad mendicabula vertam
Agmina: nam deuota Deo, promissaque Diuis,
Aut aris seruata sacris terrestria dona,
Lætitiæ, penui, mensis, lucroue, profanisue
Vsibus asseruare, nefas: Verùm ecce meorum
Votorum desiderijs percongrua cerno huc
Declinare viam duo mendicabula. CHOLVS. *Nostras,*
Monica, quæ vanè spes antè arrexerat auro
Obuiat: exordire preces, age Typhle, propinquat.
TYPHLVS. *O matrona Deo deuota & amica, duobus*
Orbum oculis miserante oculo, precor, aspice, meque
Adiutans eleemosynâ da viuere, namque

Effra-

Effractus longâ esurie tabesco. MONICA. *Canistrum*
Hoc, vinique cadum vnanimes vos inter amicè
Dispertite, mihique Dei exorate fauorem.
CHOLVS. *O mulier prolixa manu, Deus omnia fausto*
Successu tua vota, domique forisque secundet.
TYPHLVS. *Chole, quid est?* CHOL. *Niuei panes, spumansque falerno*
Amphora, conditaque ouis ac melle struices
Pulticulæ. TYPHLVS. *Satis: ohe! hodie feliciter horâ*
Exijmus felice foras. CHOL. *Hoc nempe futurum*
Vaticinata fuit primi sub lumina Solis
Interiore domo currens mustela, sibique
Obsonans pedibus truncatum in prandia murem.
TYPHLVS. *Quas mihi, Chole, blatis gerras? mustela facessat:*
Bestia namque istâc non est incertior: vno
Ipsa die catulos effert, locaque anxia mutat.
Sed mera segnities est horam hic ducere multo
Colloquio: secedendum, nobisque dapali
Pulte dapinandum est epulum bene dapsile. CHOL. *Dextro*
Typhle meo inclinare humero, dapiferque praibo.



SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

HOnor Auguſtinum ad Valentiniani Imperatoris Epidictico dicendi genere decantandas laudes excitat.

HONOR loquitur abſenti Auguſtino.



Vid reſes, Auguſtine, demi, lentuſque moraris?
Tolle moras, intra te namque palatia Cæſar
Cunctatur, laudeſque ſuas, quibus vbere venâ
Ingenij, limâque ſtyli, Suadæque medullâ,
Quâ polles, hunc ſuâuiloquens ad ſydera tollas.
Concute fœcundum pectus, rem principe dignam
Conſeſſu, dignam ore tuo, dignamque merente
Auguſto, de rhetoricis induſtrius hauri
Fontibus: ad verbi facundi incumbe leporem:
Ordinibus rerum ac verborum intende, tuique
In memores animi ſenſus abſtruſa fidelis
Omnia promie, tona eloquio, ne deſice vultus
Schematibus bene compoſitis, motuque venuſto
Corporis, vt procerum prenſes cum laude fauorem.

SCENA

SCENA NONA.

PERIOCHA.

MOnica suarum precum & eleemosynarum frequentium causam vnam asserit esse inæstuans desiderium conuersionis filij Augustini, cui postponit omnes argenti & auri montes.

MONICA.

QVando suas tandem meus Augustinus in aures
Accipiet, mentisque tenax accepta fidelis
In penitas animi fibras claudenda reponet
Indubitata fide fidei mysteria, Christi
Dogmata, quæ populo Insubrûm serit optima Præsul
Ambrosius? quando Baptismatis amne renatum
Amplectar? quando petulante libidine carnis
Assertum, positumque viâ meliore videbo?
Ille quidem Manichæi monogramma reliquit,
Dogmata, fallacesque dolos exosus ad vnum est,
Helpidij valido sermone impulsus, & vsu cap. 11. l. 5. Confes.
Ambrosij monitisque pijs euictus (vt ipse
Liberiùs mihi priuato per mutua nuper cap. 1. l. 6. Confes.
Colloquio retegens animi penetralia dixit)
Vnde mihi spes arrectæ, exultantiaque icit

Corda fides prælarga, Dei de munere, tandem
Antè meos quàm nex animâ seiunxerit artus,
Baptismi tingendum vndâ, Christique sub armis
Laturum toto vexilla fidelia mundo.
Hoc vnum superat, pro quo sublimia cœlis
Vota ferens eleemosynis incumbo, piorum
Solicito indefessa preces, lacrymosa, molesta,
Importuna fores venerati Præsulis, vnâ
Plus vice, quamquam illas multus terat aduena, pulso.
Atque adeo en illas iterumque, iterumque remensâ
Cogor adire viâ, & sobolem, sobolisque salutem
Commendare viro. Quid enim mihi rudera prosint
Aurea, & argenti montes (vota improba mundi)
Si meus æternanda subit dispendia natus?
Ne subeat, quosuis malim ante subire labores.



ACTVS



ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

Honor exemplo Demosthenis Augustinum secundò ad laudes Imperatori dicendas incitat.

HONOR.

Qvid reses, Augustine, domi, lentusque moraris?
Quid cunctaris adhuc? memor esto Themistoclis, atque
Oratoris Athenæi Demosthenis: ille
Namque triumphales alta sub mente volutans
Miltiadis palmas, & rara trophæa, nequiuit
Noctem omnem, quàm longa fuit, sua lumina somno
Declinare: sed ipse operi studioque diurno
Noctem addens, animo perquàm indignante ferebat
Ad matutinas operas si segniùs iret
Mollibus è stratis, quàm opera ad fabrilia vilis
Artificum cœtus: Tu verò minora sequere?

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

PAuper mendicus Mediolani satur & facetus, lyrâ & fistulâ canem suum ad saltum prouocat.

TYPHLVS mendiculus.

OHe! beor: bellè me namque precaria pulte
Mensa dapinauit: iam Cæsaris aula facessat:
Iam Regum valeant epulæ: mea mantica pluris
Est mihi, sudorumque exsors, & libera curis,
Longè alios, per trita tamen compendia, rerum
Prouentus parit ad triuium templumue sedenti,
Quàm fœcunda facultatum sua Regibus arua.
Nec Typhlo desunt etiam sua gaudia, nam flo
Sæpe, mihi quæ de collo mea flamina pendent.
Atque adeò volo iam ventosis vtribus auras
Accipiant, reddantque. Agedum saltare choreas
Docte canis; da compositos ad carmina saltus.
Puls, vinumque inopi Typhlo solatia sunto.



SCENA



SCENA TERTIA.

PERIOCHA:

Sollicitus vehementer ad Valentiniani Imperatoris exornandas laudes Augustinus, tractus à Libidine, Seruitute durâ, Cõsuetudine, ac Necessitate, ad Lucrum, & Honorem, viso paupere mendico post saturitatem lyram per iocum pulsante, miseriã suam, suggestione bonæ Voluntatis sentit, atque detestatur.

AVGVSTINVS, VOLVNTAS BONA, LIBIDO ANTIQVA, DVRA SERVITVS, CONSVETVDO, NECESSITAS.

AVGVSTINVS.

Me miserum! dum Cæsareas hic dicere laudes
Accingor, subitò mille ecce negotia surgunt. Confeſ.l.6. l.6.
Irrequieta, grauesque meo, sine lege, tumultus
Addensant capiti, immodicãque ante omnia curam
Nominis & famæ: quam quo magis exeo, tanto
Me prepius premit atra comes, sequiturq; fugacem.
TYPHLVS. Sollicitudo, minæ, liuor, metus, atria tantùm
Circa hominum laqueata volant, dominosq; potentes,

Quæ

Quæ nec opes, neque vis, nec honor, neque gratia, nec frux
Summouet: à tectis inopum mensisque recedunt:
Sin, festâ facile est ea pellere protinus odâ.
Ergò canis, ne me tristem circumuolet atra
Cura, paui terram saltu, mecumque choreas
Duc hilaris, motus numeros lyra stridula dicet.

VOLVNTAS BONA.

Confes. l. 8. c. 5 Voluntas noua quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem fruiq; te vellem Deus sola certa iucũditas, nondum erat idonea ad superandã priorẽ vetustate roboratam.

Augustine vide tua quò te insana Libido,
Quò Lucri pereuntis amor, quò Cæsaris aura
Inconstans, & inanis honor, quò gratia vulgi
Abripiant: nempe ad pœnas, tormenta, trucemque
Carnificinam animi. AVGVST. *Quando mecum ipse voluto*
Anxia curarum quæ me calcaria pungunt,
Ne mea dicturi linguæ facundia fœdum
Cæspitet in morem, neu rebus idonea quadrent
Verba satis; me vanæ operæ, ingratique laboris
Distædet, multoque reor felicius æuum
Exigere hunc, cui mensa tripes, cui terrea puri
Concha salis, panisque merus componit orexim,
Nec somnos adimit laudum, lucriue cupido
Sordida. VOLVNTAS BONA. *Ab aduerso festiua staticula cantu*
Læto exercentem per multiforatile buxum
Cerne virum, laudisque auidũ, Augustine, laborem
Detestare: vide quàm sit tibi dispare curâ
Dissimilis. TYPHLVS. Curæ vacuos, liquidosque

dosque sopores

Res angusta placens, & mensa Platonica præbent.

AVGVST. *Ecce grauē sollers animo secludere curam*

Ille ioco satur, & mensâ mendiculus, omnes

Lætitiâ terræ dominos lætissimus antêit.

Intereà longo insomnes examine curæ,

Quas mihi Cæsarei spes irrequieta fauoris

Aggerat, in varias obscurè vndantia partes

Vota trahunt, stabilique vetant consistere portu.

Quod mæstos gemitus animo sublimat, & artus

Quæ populet iacit in penitissima viscera febrim.

TYPHLVS. *Euge: satis: præcide tuos lyra stridula cantus:*

Namque sopore graues oculi dormire laborant.

VOLVNTAS BONA. *Augustine petis de pectore prorsus amara*

Curarum eluere? ad procerum ne incumbe fauorem,

Nec te cæcus honos domet. LIBIDO ANTIQ.

Obmutesce: necessum est.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

DVra Seruitus, Libido, Necessitas, & Consuetudo, aduersus Augustinū pugnaciores, ei, ne Lucrum, & Honorem contemnat, quod melior Voluntas suggerit, obnituntur.

DVRA

DVRA SERVITVS, LVCRVM, HONOR, LIBIDO, NECESSITAS, CONSVETVDO.

DVRA SERVITVS.



Vò nobis diuersus abis honor? HONOR. *Exulo.* LVCRVM. *Tecum*
Exeo. LIBIDO. *Non patiar.* DVRA SERVITVS. *Vim duram & vincula captus*
Iniiciam, subigamque meo parere coactos
Obsequio, quæ vestra mihi promissa fides est.
Euge ministerium mihi continuate fideles.
HONOR. *Non sinit Augustinus.* LVCRVM. *Obest pugnaciter, illi*
Non ita nata diu potior meliorque Voluntas.
LIBIDO. *Obfirmata, recens nascentem extinguere nitar.*
NECESSITAS. *Ille vngui à tenero prensare insucuit Honorem,*
Affectumque diu Lucrum, iam tempore longo
Quærit opes, alióque animum diuertere speret?
Spes exspes erit: à teneris assuescere multum est.
Imò etiam, quod iura canunt ciuilia, sæpe
Cõsuetudo vetus naturæ vim obtinet. CONSVETVDO. *Illa*
Non poterit contra obnixam me obsistere. NECES. *Frustra*
Contendet: quocũque traham, retrahamq;, necesse est
Augu-

Confes. l. 8. ca. 5. Consuetudo aduersus me pugnacior ex me facta erat, quoniã volens quò nollẽ peruenerã.

Augustinus eat: quem nostra tenacia strictè
Vincla semel tenuere, fugæ non vlla viam vis
Expediet. Quæ vos contrà formido fugaces
Exagitat? cur ante tubam tremor occupat aures?
Quin magis in proprios validi consurgitis enses,
Nascentemque priùs collectis viribus hostem
Opprimitis, quàm vos iam nata & mole suâ stans
Opprimat illa. Agedum, potiùs quàm vertere terga
Incipitis, mecum vnanimes densate cateruas,
Et quæ Augustini surgunt in pectore contra
Nostram omnem vitiorum aciem minitantia frustrà
Agmina virtutum, vastare ingente ruinâ
Connitamur. OMNES. *Ea est demum via sola*
triumphi.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

MOnica Ambrosium, vt Augustino filio, pro instructione ad fidem, opem ferat, obtestatur.

AMBROSIVS, MONICA.

AMBROSIVS.

HÆC audisse vacat; me namque negotia raptant
Hinc aliò. MONICA. *Liceat, Præsul sanctissime, paucis*

Effari,

Effari, ac dictis unum superaddere verbum.
AMBR. *Cùm tanti desiderÿ sis mater, in omnem*
Extrahe verba modum. MONICA. *Vereor fastidia; pro re*
Pauca loquar. Scis me terrâ, pelagóque sequutam
Augustinum, quem viuens, moriensque reliquit
Restanti viduæ natum illum vnumque maritus.
Scis etiam quantis errorum amfractibus, arte, &
Illecebris Fausti dubiè intricatus inhæsit
Hactenus; vtque Deo primâ iam ætate sacratum
Obtulerim, nosti: sed adhuc retinacula nectit
Plurima, causarumque moras obtendit inanes,
Ne quas humanâ contraxit origine culpas
Diuinum Baptisma lauet, cœloque, fideli
Cum populo, ascribat nomen. Per viscera Christi,
Antistes venerate Deo, per vulnera, mortemque
Obtestor, succurre inopi, solare relictam,
Exaudi viduam, atque vnam hanc tibi, pectore toto
Accipe, quam trado reuocandam à funere prolem.
Exhortare, doce, stimula, compelle tenacem
Propositi, vt lucem accipiat, caliginis vmbras
Excutiat, Baptisma petat, Christóque ministret.
AMBR. *Ne dubita, consors voti, matrona, quod optas*
Efficiere: tibi quæ dixit Episcopus Afer,
Nunc repeto, & volo sint mæstæ solatia, nunquam,
Crede, potest lacrymis tantis defleta perire
Progenies. MONICA. *Deus ista secundet, & audiat, oro.*

SCENA

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

Diuina Misericordia, Timorem, Pudorem, & bonam Voluntatem, vt Augustinũ ad meliora impellere non desinant, vrget.


MISERICORDIA, TIMOR, PVDOR, VOLVNTAS BONA.

MISERICORDIA.

Hoc, Timor, hoc, Pudor, hoc, virtuti impensa Voluntas,
Officium vestrum est? sunt hæc mihi debita sancto
Iure ministeria, vt cœli de tramite segrex
Augustinus ad inferni lacrymantis hiatum
Per tortas ab Honore vias, per Carnis amorem,
Per terrêi Lucri illecebras impunè trahatur?
Nec vos obniti contra! TIMOR. *Nos inde sequuti hunc*
A puero, varias enixè admonuimus artes:
Tardantemque diu nostris instinctibus aures
Acclinare, graui stimulauimus impete frustra.
PVDOR. *Dedidicit vultu pallere, rubere, pudere,*
Atque pigere sui fastus, carnisque, lucrique,
Quicquid in aduersum trepidæ formidine mortis

Indicijque

Iudicijque, Deique, virum percellimus. VOLVNTAS BONA. *Illum*
Vsque adeò peccandi vsu firmata Libido
Carnis inescauit philtro, & popularibus auris
Impulit, accenditque Lucri terrestris amore,
Vt nullâ penitùs tractabilis arte, susurros,
Quos eius prope continuos afflamus ad aurem,
Ceu pelagi rupes vndis immota, repellat.
MISERIC. *Ite iterum, grauiora viro calcaria posthac*
Subdite, nec lateri illius discedite, donec
Vi victus, supplex oculos dextramque precantem
Prætendens, nostrum sublimis anhelet amorem.
Nusquam abero, sed rore meo vestrum ipsa laborem
Fœcundabo, suum vt cultum seges alma sequatur.



SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

VOluntas bona, Timor, Pudor, instant vt Augustinus cum socijs, de instituendâ meliùs vitâ deliberantes; obnitente Durâ Seruitute, Libidine, & Consuetudine antiquâ, ad meliora, metu mortis, & perdendæ eucæriæ, se promptè comparent.

AVGVS-

AVGVSTINVS, ALIPIVS, NEBRIDIVS, VOLVNTAS BONA, DVRA SERVITVS, CONSVETVDO, LIBIDO, TIMOR, PVDOR.

ALIPIVS.

Quonam vsque, Augustine, leues, quonam vsque moramur
Præcipites in fluxa, Deum, vitamque beatam
Prendere? VOLVNTAS BONA. *Quo fallax vos vita reciprocat?* NEBRID. *Ecce*
Nuper ego Pœnos, patriamque, domumque, paterna Confes. l. 6 cap. 10.
Ruraque glebarum fœcunda feracium, amicosque
Et quicquid cari fuerat Carthagine, læto
Deserui pede, meque tuo, Augustine, fidelem
Adiunxi lateri comitem pro indagine Veri,
Proque capessendâ vitâ felice: sed horum
Amborum neutrum ex voto mihi contigit. ALIP. *Arces*
Romuleas, primosque fori ciuilis honores,
Spemque Lucri fallentis, ego per cuncta sequutus
Te Veri studio, & solidæ virtutis amore
Abieci, nec adhuc dispulsâ nocte repertam
Virtutem, Verumque sequor. Mihi displicet istud
Nutantis vitæ genus, obtorpensque veternum,
Quo pertentor iners. PVDOR. *Quid tu? quid denique captes*
Consilij? vndecimus nam tandem euoluitur annus,
Cùm tibi mens veræ studio sapientiæ anhela

Incepit feruere, vt eâ quaquâ arte repertâ
Insanas species, vanæque Libidinis omnes
Abijceres formas: nunc longè ingressus in æuum
Triginta annorum voluendis mensibus orbes
Explesti: nec adest vllum discrimen. AVGVST. *Eodem*

Confess. l. 6. cap. 11. *Obrutus immersusque luto voluorque reuoluorque,*
Et præsentûm auidus Nugarum abeuntia capto
Gaudia, consector fumos, consector & vmbras.
Cras, inquam, inueniam; cras lumen amabile Veri
Horrente abs oculis disiectâ nube, videbo,
Comprendamque: mihi veniet cras Faustus, & ore
Omnia facundo exponet. TIMOR. *Nihil inde sequutum est,*

AVGVST. *Nunc, vbi me puerum à teneris posuere parentes,*
Figo pedem, & quæ displicuit sacra pagina, demum
Perplacet: ast errantis adhuc obtusior vsus
Mentis hebet, Verique mihi dum occurrat imago
Plenior, expecto. DVRA SERVITVS. *Sed quâ regione locorum?*
Quâ methodo? quibus auxilijs? quo tempore tandem
Quæretur? Veri fœcunda volumina desunt:
Non vacat Ambrosio vestros audire labores,
Difficilesque aperire vias, & soluere nodos.
CONSVET. *Proinde nihil caussæ est cur mentem inuertere speres.*

AVGVST. *Manè diem ad medium sibi nos studiosa iuuentus*

Disti-

Distinet; inclinante die, quibus otia curis
Fallimus? TIMOR. *Heus, volat intereà irreuocabile tempus,*
Vosque senescentes rapido cum tempore sensim
Defluitis, nixi terrestrium inanibus auris,
Futilibusque leuis populi rumoribus. AVGVST. *Eia,*
Omnia quæ vacuas tenuere negotia mentes
Ingenij ornandi titulo linguæque, facessant.
Cuncta relinquamus nunc vana & inania, nosque
Protinus, & nostras toto cum corpore vires
Aeterno vestigando finique Deoque
Traducamus. VOLVNTAS BONA. *Ad hæc tibi quæ prudenter in aures*
Diuinus Timor, atque Pudor comes additus, inflant,
Mentem adhibe: siquidem quando irreparabilis auro,
Et prece, subterlapsa manus occasio *rursum*
Incurret? quæque hìc penitus discenda fuere,
Si neglectim abeant contempta, vbi tempora vobis
Opportuna fluent, quibus illa ediscere ad vnguem
Sit licitum? numquid commissa piacula tantæ
Segnitiæ, æternâ miserandi morte luetis?
AVGVST. *Hæc vita est miseranda, & mors incerta: repentè*
Si torua obrepet; quàm tristi exibimus ore!
Quàm malè securi! neque nos facundia linguæ,
Nec multis animi quæsita scientia curis,

Nec locuples thesaurus opum, neque plurima laudum
Nomina, nec splendor patrius, virtusue parentum
(Ne mala nos mortis, quæ sunt horrenda, flagellent)
Vnquam intercedent. ALIP. *Spes ergò fouemus inanes.*
NEBRID. *Ergò superuacuos ingratâ mole labores*
Exercemus, & in propriam, omnibus irridendi,
Præcipiti amentes incurrimus agmine pestem.
VOLVNTAS BONA. *Nemo igitur vestrûm procrastinet: omnia tardæ*
Vincla moræ celeres hodie disrumpite. ALIPIVS. *Nobis,*
Augustine, via, Ambrosius quam mõstrat, eunda est.
AVGVST. *Euge.* CONSVET. *Sed, expecta: quò te rapis? ergóne vitæ*
Præsentis pones habiles iuuenilibus annis
Delicias? AVGVST. *Ergóne æui florentis abibit*
Optima pars, cuius molles non carpsero fructus?
LIBIDO. *Ergò voluptates, quarũ non omnia noris*
Præmia, tam præceps, intempestusque relinques?
CONSVET. *Tam citò!* NECES. *Tam subito!* LIBIDO. *Tamque imprudenter!* CONSVET. *Et absque*
Consilio! LIBIDO. *Non est facilè incidẽda suauis*
Lætitiæ, tibi quam præsens hæc vita propinat,
Spes haud exigua, & connubI intentio. AVGVST. *Mecum*
Dum tacitus quæ vestra datis consulta reuoluo,
Non satis illa placent animo, neque pectore fixum est
Tam

Tam subitò me connubio diuertere. ALIPIVS. *Miror,* Confef.l.6. c.12.
Augustine, tenax adeò tibi pectore verti
Connubium: tam viscoso te glutine carnis
Hærere, vt nullâ arte queas, methodoque, viâque
Dissolui. An pacem sapientis & otia vitæ
Non interturbat, non frangit, & angit, & vrget Confef.l 8. cap. 1. Sed adhuc tenaciter colligabar ex fœmina
In nihilum interitumque thorus socialis, amorque
Coniugis? AVGVST. *Insipiens igitur tibi visus Abramus,*
Isacus, Isacides, atque ille per auia ductor
Isacidûm Moses, & proles vltima Iesse
Psalter Ique Deique sciens? ALIPIVS. *Diuinitùs illos*
Intus agens (quia nil curæ terrestris habebant)
Aeterna erudijt planè Sapientia. AVGVST. *Quantos*
Roma tulit! quantos eduxit Iberia! quantos
Græcia thesauro sapiente instruxit alumnos,
Quos irrupta maritali iungebat amore
Copula! ALIP. *fortè mihi Cicero, Gracchusq; Catoque,*
Scipioque, obscurumque aliud sine nomine vulgus
Obijcientur, vt à studio sapiente politi:
Quàm verò à solido sapientûm nomine longè
Abfuerint, tecum prudens expende, videbis
Nunc vt eos demens (si qua est ea gloria) nomen
Signet. AVGVST. *At in sanctis Christique sequacibus olim*

 Disci-

Confes.l 6. c 12. Alipio loquebatur serpens, & innectebat atque loquebatur serpens per linguam meã dulces laqueos.

Discipulis (vt crebra meas fama impulit aures)
Nonne fuit (quanquam saperent cælestia) multis
Connubialis honos & vincla iugalia curæ?
ALIPIVS. *Nunquam equidem innumeris, quos*
nunc sapientia cælo
Intulit, intactum ius connubiale negabo.
Hoc tamen haud incertus habe, tam sancta fuisse
Connubia, vt casti thorus immaculatus amoris
Et veluti sine carne caro, sine corpore corpus
Miratas raperent animas Cælestium. Amores
Qui malè te, Augustine, tenent, citò deferuebunt.
Pone moras, quáque Ambrosÿ fert vita, sequamur.
Me similes, cùm prima calens pubesceret ætas,
Tentarunt stimuli, & carnis petulantis amores,
Quos restinxerunt vitæ sapientis amores.
AVGVST. *Quem tu, Alipi, raptim furtimque ex-*
pertus amorem es,
Ille meo, multo discrimine, distat amori,
Quem longo irruptoque bibi iam tempore: namque
Vix meminisse potes, qui te calefecit, amoris;
Tantum adeò spacium tibi temporis intercessit,
Vnde mei non difficilis contemnis amoris
Delicium: quod, si laudabile nomen honesti
Coniugÿ sese adiungens ornaret, ab illo
Tam gratâ vinctum me compede, tamque tenaci
Inuitatum hamo nō mirareris. NEBRID. *In istos,*
Augustine, tuos, si progredieris, amores
Sensum animumq; trahes AlipI: sic verba loquentis
Ponderat, intutuque stupet defixus in vno.

ALI-

ALIPIVS. *Augustine, tuâ vehementer ab indole pulsus*
Te veneror, te suspicio, tibi defero: primos
Proînde meos ego non tantùm sum exosus amores,
Quin semel abiectos repetam, tecumque libenter
Altiùs immergar, voluarque libidinis æstu,
Quò penitus caussas possim tentare latentes,
Quæ faciant vt norma tuæ pulcherrima vitæ
Iudicio sensuque meo non vita tibi sit,
Sed verò trux pœna. AVGVST. *Alipi, me consule, priscâ in*
Libertate mane, neque te imprudentior isti
Dede ministerio, vnde volens exire, laboro,
Torqueor, excrucior. SERVIT. DVRA. *Nequidquam exire laboras:*
Quò magis adnitere meas euadere spiras,
Hoc magis intendam seruilia vincula capto.
AVGVST. *O! quis abire labor! tamen hinc exire volo: sed*
Non hodie, sed non modò: cras fortasse, vel intra
Temporis angusti, quod defluet, interuallum.
Nunc viam ad Ambrosium flecto. NEBRID. *Comitemur euntem.*
ALIPIVS. *Augustine, tuâ vitâ vehementer adhamor.*
Quæ tantùm te detineat crucietque voluptas,
Inscius explorabo. NECESSITAS. *Tuæ si vincula captæ*
Ceruici semel inÿciam, non illa valebis

Quando voles, exire. ALIP. *Subibo pericula.* NEBR.
Prudens
Incidet in damnum, qui vult incurrere damnum.
Ergò Alipi illecebram, nisi damnum ambiueris, exi.
AVGVST. *Ecce meæ Ambrosius dependet ab ore parentis:*
Cunctemur quando alteruter valedixerit, illi vt
Omnia secretam concepta loquamur ad aurem.



SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

MOnica, post commendatum Ambrosio filium Augustinum, angitur quòd pluribus non commendarit: ne tamen importunior sit, aliud in tempus fusiorem commendationem extrahit.

MONICA regrediens ab ædibus Ambrosianis.

SPem facit: at fecitne satis! nonne vlla supersunt
Scrupea quæ pungunt lacerantque negotia mentem?
Sunt certè, dubiamque angunt non pauca. quid? ergò
Regrediar, repetamque viri sine lege molesta
Colloquium? non ausim equidem: sed honesta pudoris
Vt

Vt septa egrediar, rumpamque repagula, nati
Vrget amor, pulsatque salus. At Præsulis aures
Vt nimis importuna premam obtundamque, quod intus
Me lædit scrupi reliquum, opportuna reposcit
Tempora: proinde iuuat differri in crastina: fari
Namque hodie mihi plura, nefas, neque copia verbi
est.

SCENA NONA:

PERIOCHA.

AVgustinus cum Alipio & Nebridio ambiens Ambrosij colloquium, incitatus à Bonâ Volũtate, retrahitur ab Honore, & Lucro, cui fauces, ne pòst obganniat, elidit penè, fugiente Honore.

ALIPIVS, NEBRIDIVS, AVGVSTINVS, HONOR, LVCRVM, VOLVNTAS BONA, &c.

ALIPIVS.

EN abÿt. VOLVNTAS BONA. *Iam colloquÿs incumbere tempus.*
NEBRID. *Iam faciles quærendi aditus ad Præsulis aures.*
AVGVST. *Ille sui dabit affatus nunc mollia, credo,*
Tempora. At intereà dum quæ mihi quæstio dudum
Diffi-

Difficilis, facili sensu enodanda recurret,
Inter vos conferte, precor, tantisper abibit
Iusta mora. LVCRVM. *Et verò ducens instantibus horas*
Colloquijs, mora ne Lucro dispendia portet
Vlla, caue. HONOR. *Caue ne quidquam fureris Honori.*
TIMOR. *Quid Lucri, quid Honoris iners admittis in aurem*
Afflatus? non hos misero tibi rere futuros
Exitio? AVGVSTIN. *Quàm terribiles exsuscitat iras*
In me animus Lucro pronus, propensus Honori!
VOLVNTAS BONA. *Hostem inuade, gulam comprende, elide loquentem.*
AVGVST. *Tu, mihi depulsus toties, rursum occinis auri!*
Ne facias, tibi iam fauces elidere, certum est.
HONOR. *Hic mea res agitur, paries cùm proximus ardet:*
Paullum ideò intereà cedam, dum detonet ira.
Nil Augustinum hîc contra: vi namque gerit rem.
Subdola cùm primùm placidæ pellacia menti
Ridebit, compostâ animum turbante procellâ; huc
Me referam, solitasque faces in viscera spargam.
AVGVST. *Nunc animo desæcato sedata procella est.*
NEBRID. *Quæ tibi res rugat frontem, Augustine?*
AVGVST. *Recursans*

Nolenti

Nolenti vilis Lucri importuna cupido,
Quæ rapit enubem tranquilli pectoris auram;
Obstreperam tamen elisâ propè fauce repressi.
Nunc iter Ambrosij ad consulta oracla teramus.



SCENA DECIMA.

PERIOCHA.

Honor iàm Lucro exanimi, propter elisas propè fauces, medicinam adhibet, vt Augustinum ambo acriores inuadãt, quod vt præcaueat Timor, Misericordia diuina commonet.

HONOR, LVCRVM, MISERICORDIA, TIMOR.

LVCRVM.

Ahe! HONOR. *Reuiso suâ Lucrumne clade resurget:*
Namq; Augustinus, rabie quasi flãmeus, ilt.
Expressos oculos, & siccum sanguine guttur
Elisit propè: sed mediâ ecce recumbit arenâ
Extremam ducens animam. Medicabor, eique,
Si potero, instaurabo animum, viresque secundas
Suppetam, vt Augustinum adeat violentior. LVCR. *O! ho!*
HON. *Viuit adhuc, tenuisq; illi super halitus errat?*
LVCRVM. *Ai, mi, ai:* HONOR. *Quo tuâ vita loco*

loco est, Lucrum? LVCR. *Omnia penè*
Faucibus elisis clausit spiracula voci
Augustinus. HONOR. *Adhuc tibi respirare potestas.*
LVCRVM. *Vix.* HONOR. *Satis: vt video, modò*
sis animæquior: euge
Affectam malè ceruicem mihi porrige: namque
Ista, meâ quæ gesto manu, narthecia, clausum
Vnguen habent præsens quemvis lenire dolorem.
LVCRVM. *Interior me pestis habet: latet omnis in*
imâ
Fauce dolor: summas frustra lenjueris oras.
HONOR. *Experto crede Hippocrati: tumor omnis*
abibit
Protinus. Ille autem, in penito quem gutture sentis
Contractum vocis spiracula claudere, sanguis,
Hac subitò epotâ, quam cernis, amystide, solui
Incipiet: cur prēde scyphū hunc, & funditùs hauri.
Nunc animis opus: intereà, dum perdita sensim
Corporis in fibras artusque habitudo redibit,
Mecum inuade vias, Augustinoque recentes
Insidias molire. MISERICORDIA DIVINA.
Hosti, Timor, obuius ito:
Anteueni: præclude viam: flammam obijce. TIMOR.
Quò vos,
Quò busta Inferni ruitis? retrolapsa redite
In vestras igne vndantes fumoque cauernas.
Fugit Honor: cecidit Lucrum. Iam dêinde manebo
Augustine tibi comes indiuulsus, vt omni
Illecebrâ maior, Baptisma Fidemque capessas.

SCENA

SCENA VNDECIMA.

PERIOCHA.

Q Vesta secum hinc Monica quòd Baptismum differat Augustinus, in somnum illabitur, & ab Angelo de futurâ filij conuersione per visum dormiens edocetur: excitata recreatur somnio: ac de nubili virgine filio ad Baptismum desponsandâ cogitat. Illinc longiusculè ab Ambrosij foribus Alipius & Nebridius Augustinum cum Ambrosio colloquentem aspiciunt, & cunctantur: tandem recedente Ambrosio, congressis inter se Augustino & socijs interuenit Monica, quæ filiũ vt coniugium ineat, petit: ille non renuens, differt. Mater à Nebridio bonâ de Augustini futurâ breui conuersione spe conceptâ, hilarior abit.

MONICA, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, ALIPIVS, NEBRIDIVS, ANGELVS.

MONICA.

Q Vanta tuæ, quàm mæsta creas fastidia matri
Augustine morâ, quâ te Baptismatis amne
Purgari longè refugis! fastidia somno

Vt declinem oculos, faciunt. AMBR. *Qui te implicat error,*
Noxius aduersusque Deo est: namque vnica mundi
Mens, quæ agitat molem & toto se corpore miscet,
Cuncta mouet, regit, atq; animat, vegetatque, potẽtis
Illa Dei simplex bruto sine corpore mens est.
Quod facili monstrabo viâ, si porrigis aures.

Somnium matris Monicæ de Augustino filio, ex ca. 11 lib. 3. Confess.

ANGELVS. *Cur mœrore sepulta iaces hîc Monica?*
MONICA. *Natus*
Hunc mihi marcenti peperit mœrore soporem.
ANGELVS. *Vnde?* MONICA. *Quòd errorum densâ caligine septus,*
Fœmineoque diu detentus ab illice, Christi
Militiæ, Fideique tenax ascribere nomen
Defugiat. ANGEL. *Siratas spes erige: corpore somno-*
Lento erade animi fastidia mœsta: videsne
Quâ regione loci iaceas? MONICA. *Video.* ANGEL. *Arrige mentem,*
Atque iterum contenta locum circumspice: ibique
Cerne tuam sobolem. MONICA. *Quænam mihi somnia mentem*
Ludificant? cœli indigetem solatia mœsta
Ferre mihi in somno sum visa videre, meoque
Affixum lateri gnatum, quem lugeo, eodem
Mecum stare loco. Mecum ergò fidem ille tenebit
Conuersus? Mœstumne animũ hæc oblata leuet spes?
Quàm vereor, fili, nè te mors ocyor antè
Occupet, ad sanctum quàm tu Baptisma propinques.

Malim

Malim ego te permissa ligent connubia, quàm sic
Traductum nutante animo in diuersa videre.
Quippe nequis te connubio constringere, sacrum
Ni Baptisma priùs commissa piacula purget.
AMBR. *Limato nunc iudicio, Augustine, sagacique*
Ingenio mea verba capis? AVGVST. *Quæ gratia cæli est,* Confeſſ.l.6. c.3.
Subsidiumque tuum, Præsul venerate, nitenti
Lucidiora die mihi percipiuntur, ab vsque huc
Ignorata: Dei siquidem comprendere mentem
Incõprensam hominũ ingenio ratus, hactenus illam
Concepi solido concretam è corpore, certo
Finitamque loco. MONICA. *Certum est tibi congrua, nate,*
Quærere connubia. AMBR. *Assulsam hanc tibi gratulor vmbram,*
Cætera, crede mihi, sensim dilata videbis,
In nihilum quæ densa tuos male nubila sensus
Hactenus errorum varijs abiere figuris.
MONICA. *Est matura viro, plenis est nubilis annis,*
Est ætate, opibus, formâ, pietate, fideque
Par tibi spectati super omnia pectora ciuis
Nata, tibi hãc thalami sociam, propriamque rogabo.
AMBR. *Tantùm aude, & fidenter adi Baptisma, nouoque*
Delicio exundans mox dilatabere, teque
Vix capies: tibi mox non enarrabile cælo
Affusum monstro attonitus mirabere lumen,
Et nunquam expertos, qui terrea gaudia vincant,
Expe-

Experiere fauos vitæ cœlestis. MONICA. *Is igni*
Ardet amoris:amor per iura iugalia cuiuis
Est concessus: erit modus hic Baptismatis. AMBR.
Eia:
Frange catenatos obices,perrumpe viam vi:
Diripiunt cœlum violenti: *euince:beatus,*
Quisquis ab aduerso victor superauerit,ille
Accipiet nomenque nouum, abstrusumque palato
Mortali manna. NEBR. *Hîc, nisi fallit opinio,*
pronus
In verba Ambrosij cadit Augustinus; in eius
Quæso, Alipi,attonitos vultus tua lumina verte,
Mutatas aduerte genas,aduerte colorem.
MONICA. *Ibo, iterumque,iterumque premam ad*
connubia natum.
Ast illum Ambrosium astantem num conspicor? Ille
est.
Hîc reprimam cum voce gradum,quãdoque reuertet,
Expectabo:salus nam mutua vtrimque vicissim
Colloquium abrumpit. AMBR. *Nos his de rebus*
agemus
Pluribus,vt primùm se publica turba reponet.
NEBRID. *Cepit & impleuit mentem dulcedine*
verbi,
Augustine,tuam, Ambrosius? tibi fecit abundè?
AVGVST. *Eximia est,incredibilis,diuina viro vis*
Ingenij. Sed, mater adest: illi obuio. MONICA.
Multùm
Recreor, Augustine,tibi permissa patere

Tempora

Tempora colloquio Ambrosij. AVGVST. *Mihi gratulor: atque*
Liberiora velim. MONICA. *Processu temporis, vt te*
Coniugio fundaris, erunt liberrima: constans
Fac tantùm vitæ genus amplectare, tibique
Vxorem thalami sacrosancto fœdere iungas.
AVGVST. *Annuo: sed nosti quàm intempestiua viro sit*
Virgo mihi quæsita, duos quam ante sto per annos.
Hinc ego connubium illius thalamumque iugalem
Profero. MONICA. *Sunt aliæ innuptæ Latialibus aruis,*
Sunt quibus est æquæua tibi & prouectior ætas.
AVGVST. *Hac-extracta-tenus mihi sunt connubia, & vltra*
Sint extracta volo. Ne frustra exercita curis
Talibus exactam senio te confice mater:
Sacra quidem me coniugij sibi fœdera poscunt,
Maternis neque consilijs parere recuso;
Hæc tamen ob causas ventura in tempora seruo.
NEBRID. *Ne: Matrona Deo fide: vt præsagio, paucos*
Ante dies, quæ pro nato, studiosa salutis
Vota facis desiderijs ardentibus, illa,
Lætior egressu fausto conclusa videbis.
AVGVST. *Hæc odiosa, Parens, abrumpe negotia: mecum*
Plura domi secreta loqui licet, vt libet: at nunc

Confes l. 6. c. 13. Vxor quærebatur Augustino.

Collatis nostri studij de rebus agendum est.

SCENA DVODECIMA.

PERIOCHA.

BOna Voluntas Augustinum vt viriliter cōtra Consuetudinem ad se redeuntem nouis satellibus armatam pugnet, instigat: Augustinus facturum se licet multo cum labore, pollicetur.

VOLVNTAS BONA, CONSVETVDO, AVGVSTINVS, NVGÆ NVGARVM, VANITAS, siue Voluptas.

VOLVNTAS BONA.



Cce nouis armata dolis, armata ministris
Consuetudo tibi struit, Auguſtine, ruinam.
Augustine caue: circumspice prouidus, aures
Oppila, decede viæ, vigilantibus exi
Pestem oculis. AVGVST. *Quanam ista hominis mortalis imago est?*
Non tam diuersas formas, atque ora ferarum
Induit inconstans mutato corpore Proteus,
Nec maculosa notis ita multicoloribus horret
Pardalis, vt gero distinctas in corpore mentes,
Atque voluntatum varijs horresco figuris.
Ecce ego iam monitis mihi quæ sanissima, Præsul

Ambrosius dabat aptabam propensior aures
Morigeras, faciliſq; ſequi conſulta probabam:
Nunc verò mutata ſuo ſententiâ cedit
Pulſa repentè loco: quæq; ante capeſſere promptus
Ardebam conſtante animo; ne deinde capeſſam
Oppoſitos hinc inde obices mihi praua Libido
Obiectat, neque certa datur ſuperare poteſtas.
VOLVNTAS BONA. Fit via vi: *rumpendi aditus: deſüeſcere priſcis*
Moribus expedit: i celeri pede quo tua virtus
Te vocat: inſüetis iam tandem aſſüeſcere tempus.
AVGVST. Victricem vetulâ de conſuetudine palmam,
Ferre, grauis pugna eſt: *æquo certamine, prauam*
Naturam expugnes: tãtum eſt inſüeſcere: nam quæ
Perdidicere diu mortalia pectora, ſerò
Dediſcunt. VOLVNT. BONA. Pugna: facile eluctabere pugnâ.
AVGVST. *Depugnans tamen aſſüetis deſüeſcere diſcam.*
CONSVET. *Hoc opus, hic labor:* aſſüetis deſüeſcere durum eſt.
Quæ mihi namque pari ætatis diſcrimine claudunt
A dextrâ læuaque latus, mortalium inanes
Perlecebræ, Nugæ nugarum, & vana Voluptas,
Te nunquam mea vincla ſinent euadere, nacta
Propterea iuſtum, Plautino idiomate, nomen
Quos ſemel Arripides, vllâ vi poſteà nunquam

Eripides. NVGÆ NVGARVM. *Visu retinemus: fallimus hamo.*

SCENA DECIMA-TERTIA.

PERIOCHA.

AVgustinus accensus Amore diuinorum, Simplicianum, quem vt patrem diligebat Ambrosius, adire constituit.

AVGVSTINVS.

HEV! quot in aduersum placidam ruptura quietem
Ancipitûm mihi curarũ spineta resurgũt!
Nuper in æternæ studiosâ indagine vitæ
Ex cap. 1. l. 8. Confes. *(Quam certis oculis animi, Fideique, saluto*
Eminus ac cerno) grauiter suspensus inhæsi:
Iam quæ vita breui circo decurritur, angit
Me vehementer, onusque mihi est, non propter Honoris
Mentiti decus, aut Lucri fallentis amorem,
(Quæ modò præ cœli decore ac dulcedine sordent)
At quia inescor adhuc, teneorque tenaciter hamo
Fœmineo. Scio communi non viuere normâ
Posse omnes: agit hic cœlebs, hic coniuge gaudet:
Nec prohibet sacrosancta mihi connubia Paulus,
Quanquam acuat meliora sequi, cupiatque, velitque
Nos in idem secum vitæ genus ire: sed illo

Infe-

Inferior, vitam, quæ mollior, eligo. Noui
Sponte aliquos olim ob cœlestia regna fuisse
Semiviros: at qui hoc pondus perferre valebit,
Perferat: Hîc autem vereor ne impensiùs æquo
Obsequar illecebris, ne Carni abblandiar, & quod
Numen vt in speculo & sublustri noctis in vmbrâ
Cognosco, non vt Numen malè cautus adorem.
Ecquid agam? quo perfugij me nomine vertam?
Ambrosij consulta petam? vetat improba moles
Curarum, quibus opprimitur: nil tale lycæum,
Nil academiæ, Græcorum, vmbracula, monstrant.
Simplicianum adeo grandæuum ætate parentem
Ambrosij. (namque Ambrosius complectitur illum
Vt patrem) Ecce autem solâ spaciatur arenâ.
Huic promam ancipites iactati pectoris æstus.



SCENA DECIMA-QVARTA.

PERIOCHA.

AVgustinus Simpliciano, ad quem ne iret, Necessitas, Libido, Consuetudo, & Dura Seruitus, moras & impedimēta obijcere frustra molitæ sunt, circuitus erroris sui narrat. Ille de lectione Platonis Augustino gratulatus, Victorini Romani Oratoris conuersionem ad Fidem Catholicam cōmemorat: cui suspirās Augustinus non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate ligatus, intelligit quomodo

caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

NECESSITAS, LIBIDO, CONSVETVDO, SERVITVS DVRA, TIMOR, PVDOR, AVGVSTINVS, SIMPLICIANVS, VOLVNTAS BONA auctior.

NECESSITAS.

EN *quid agit?* SERVIT. DVRA. *Cohibe.* LIBIDO. *Retine.* NECES. *Preme.* SERVIT. DVRA. *Stringe catenas*
Pressiùs. NECESSIT. *Alloquio pronum diuerte.* CONSVET. *Nequirem.*
LIBIDO. *Auxiliabor.* VOLVNTAS BONA. *Abi hinc animorum dira tyrannis,*
Instinctusque meos exosa Libido. LIBIDO. *Catenas*
Laxo coacta manu longè potiore: Voluntas
Altera quæ valido consurgit adultior æuo
Antiquo solitam vocem cum robore frangit
CONSVET. *Praua Libido quid eneruos ad vincula neruos*
Intendis? NECESS. *Quid iners resides?* SERVIT. DVRA. *Quid muta remittis*
Officium CONSVET. *Nisi subsidium auxiliare ministret*
Prisca Libido, simul me vincla remittere tandem
Expediet. VOLVNTAS BONA. *Nec tu post dêinde licentior vllam*

Pande

Pande viam voci. SERVITVS DVRA. *Nutu ducentis eunt res:*
Hic sumus eneruæ: en etiam quasi fracta laborem
Consuetudo silens planè intermittit. NECESS. *Inertes*
Ne simus, nostrisque cadant hæc vincula dextris,
Stemus ad extremum obnixæ non cedere, nostro
Dum subeant Nugæ auxilio Carnisque voluptas.
AVGVST. *Illa tenebrarum est summa, errorumque meorum*
Circuitus. SIMPLIC. *Variè, vt memoras, iactatus es: vnum* Confes. L. 8. c. 2.
Te tamen euoluisse oculo vigilante Platonem
Quem latio Victorinus dedit ore Loquentem,
Gratulor: ille nihil vanum nil futile scriptis
Adspersit; sed præ reliquis authoribus ætas
Quos antiqua tulit rerum cœlestium inanes
Ignarosque Dei, terrâ sublmiior, altis
Penè suum, alis ingenij caput intulit astris.
Namque Deum atque Dei non enarrabile Verbum
Sublustris sua per diuina volumina passim
Insinuat. AVGVST. *Fateor: solidi sed luminis exsors*
Dum sparsim obscuris inuoluit vera, profundis
Haud satis à tenebris leuat, illustratque iacentem.
SIMPL. *Non ea vis hominum est: cœleste ad lumen ituris*
Subsidij maioris opus: nisi cælica prorsus
Aura per æthereos affundat lumina nimbos,

Incassum propriis humana potentia fidit
Viribus. Illa fuit Diuinæ gratia mentis,
Quæ Victorinum Romanos Rhetoras inter
Summè elucentem, tetrâ reuocauit ab vmbrâ
Ad vitæ æternæ lumen: cùm namque Deorum
Plurima monstra miser variis excisa figuris
Extremum patrio ritu coluisset ad æuum;
Tandem illi diuæ sacrata volumina legis
Voluenti, pastosque oculos per cuncta ferenti,
Cœlitùs insueto iaculatus lumine fulgor
Affulsit, noctemque, cauis quæ densa tenebris
Obruerat, circumque senem volitauerat, egit
Dilatam in nihilum. Quod cùm secretus in aurem
Principio conuersi animi mihi fortè referret;
Nulla fides, inquam, tibi, Victorine, futura est,
Nec mihi Christiadûm referêre fidelis in agmen,
Ni te sancta sacro recreatum Ecclesia fonte
Me spectante sinu excipiat, teque vbere lactet.
Ille sub hæc: quasi verò suis Ecclesia muris
Quos capit, immunes maculoso à crimine vitæ
Sanctificet. Tacitè ingeminabat talia, seque
Sæpe mihi repetens iterumque, iterumque canebat
Christicolam. AVGVST. *Dic verò, illum quæ caus-*
sa mouebat
Dissimulare Fidem? SIMPLIC. *Quia formidabat*
amicos
Immodico tumidos fastu, qui mille profanis
Disiecti de mente sacris, idola colebant.
AVGVST. *Quis tandem Fidei simulatæ finis?*

SIM-

SIMPLIC. *Vbi altè*
Impreßis Fidei radicibus, incrementum
Diuinus produxit amor, timuitque negari
A Christo ante oculos Genitoris, & ordinis omnis
Aetherei, cùm iudicium commune subiret
Denatus; positoque metu, positoque pudore,
Attonitâ Româ, lætante Ecclesiâ, in iras
Accenso, indignante, fremente, furente superbo
Peccatore, Fidem Christi confessus ab alto est.
AVGVST. *Quæ memoras exempla, trahunt.* SIMPL.
Qui clamor in Vrbe!
Quod populi studium! quæ tunc certamina plausus!
Per fora, per vicos, per singula templa, per ædes,
Per Clerum, mercatores, ignobile vulgus,
Perque Palatinos, vox Victorinus in ore
Omnium erat: Victorinus geminatus hiantes
Romuleos in sese animos vertebat & aures.
AVGVST. *Languenti mihi vim stimulis vagrandibus addis.*
O! quis agit pectus calor! ô quæ flamma medullas
Lambit! ô insuetos, quibus æstuo feruidus, ignes!
Vix se intus capiunt: vereor ne exilis ad auras
Erumpat vapor: at, ne fecerit, intercedam.
Dic autem (quoniam mihi Simpliciane laborem
Hunc adhibes) dic, prima illum quæ caussa profanis
A studijs, ad sacra suas traducere curas
Compulerit. SIMPLIC. *Simulac Iulianus apostata pubem*
Artibus humanis, & Rhetoras arcuit Vrbe,

Ille,

Ille, vt erat Rhetor verbique magister & oris,
Deseruit fandi præcepta scholasque loquaces,
Diuinoque animum verbo, quod muta silentis
Infantisque diserta facit retinacula linguæ,
Applicuit: fuit illi hec prima salutis origo.
AVGVST. *Quod medijs hominum in turbis, medioque theatro*
Post positis & amicitijs, & honoribus, ore
Fidenti fuerit Christum confessus, habetur
Ille mihi constans, & verò beatior. VOLVNTAS BONA *O! O!*
Felices animas! ô terque, quaterque beatos
Mortales, quibus occurrens Occasio Recti
Fronte capillatâ fixo comprenditur vngui!
Nam pòst calua, rotâ celeri quia deflûit, vllis
Vix lacrymis elapsa semel, reuocabilis vnquam est,
Et segni implacata vehit tormenta. TIMOR. *Tibi nunc*
optima sese offert meritorum Occasio. PVDOR. *Quorsum*
Augustine, hæres, quorsum, Augustine, moraris?
VOLVNT. BONA. *Hanc manibus rape: venturam ne differ in horam:*
Temporibus medicina datur. PVDOR. Data tempore prosunt.
TIMOR. *Si fugiet neglecta manus, reuocata, querelas*
Negliget: ad seram hoc speras producere mortem!
Falleris. AVG. *Est ita: sed video meliora, proboque:*

Dete-

Deteriora sequor: sic me tenet irretitum
Hostica vis non compedibus, ferriue catenis,
Sed quæ dura, tenax, indissociabilis instar
Compedis æratæ riget intractabilis vllo
Cœlesti precio, damnoue, Libidine prauâ
Propriâ. SIMPLIC. *Habet stimulos acres ad pectus: ab illis*
Pungitur: exemplum Romani Rhetoris illi
Profuerit, spero: bene, seriùs, ociùs omnes
Diuersos obices rumpet. Sed, consule longè
Simpliciane: vide quantis gemat ille catenis
Implicitus, quem longa mali per tempus adulta
Consuetudo ligat: *vult funem abrumpere, nec vult.*
Tentat abire fugâ, ne abeat, sua vincula tardant.
TIMOR. *Quid mirare? truci vincitur ab hoste Voluntas.*
Vnde catenatas manicas sibi fabricat: inde
Nascitur & præceps, & cæca Libido, frequenti
Cuius ab vsu oritur mala Consuetudo, cui dum
Principio non obstiteris, sociam esse videbis
Fatalem quasi vim quandam, indomitamque, trahentem in
Deteriora, quibus veluti per mutua nexis
Fingitur indisrupta iugum ad crudele catena.
AVGVST. *Nil, fateor, possum caussæ prætendere, vanam*

Confes. l. 8. cap. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

Confef. l. 8. c. 5. vsque ad 6. Ego adhuc terra obligatus militare tibi recusabam, & impedimétis omnibus sic timebam expediri, quemadmodú impediri timendú est. Et suprà: legerâquomodo caro cócupisceret ad uersus Spiritum, Spiritus ad uersus Carnem. Confef. l. 8. cap. 5. Certum habebam esse meliùs tuæ charitati, me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat: hoc libebat, & vinciebat. Ibidé, non erat quod tibi respóderem dicenti mihi, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: non erat omnino quod respondere veritate conuictus, nisi tantùm verba lenta & somno-lenta: modò, & ecce modò, sine paululum.

Cur minùs abijciam Carnem, Carnisque leues spes,
Ac, Deus ô æterna animæ dulcedo, vocantem
Te sequar. Inter se diuersâ lege frementes
Spiritus & Caro confligunt, vt sentio: raptat
Spiritus inde: Caro inde trahit me sponte sequentem.
Nempe diu assuêtis mihi iam desuêscere durum est.
Hinc videor similis somno grauiore sepulto
Esse viro, qui pestiferum superare soporem
Dum tentat, superatur: eoque remergitur ipse
Altiùs: & quo torpor iners magis alligat artus,
Quoque soporatum premit iniucundior, hoc est
Gratior, & serpit capiturque libentiùs, instent
Opportuna licet surgendi tempora. Mecum
Sic agitur: me namque Deo nunc dedere, molli
Quàm Carni, ceu mancipium, malè cedere, præstat
Vt video: illud porrò placet superatque; sed istud
Et libet & ligat. Ecquid enim vix dicere mussans
Respondere queam Domino mihi talia fanti:
Excutere à somno vir somniculose, sepulte
Mole sepulchrali culparum, exsurge sepulchro,
Teque nouâ Christus perfundet luce: quid, inquam,
Respondere queam victus, nisi deside somno
Lenta, veternosa, & torpentia verba: modò ecce,
Ecce modò: at sine me lentescere paululum, & ibo
Quò me, Christe, vocas: nam iam iam exire potestas

Non

Non datur. O me infelicem! quis me asseret huius
Corpore mortis? eo:nam vix mihi tempero: vix me
Contineo,quin luctificos effundar in imbres.
Simpliciane,vale:mihi namque repentè subortum
Est aliquid,proferre moras quod longiùs istic
Me vetat. SIMPLIC. *Augustinè vale,Latÿque memento*
Rhetoris. AVGVST. *Ille meâ facilis non excidet aure.*

VOLVNTAS BONA. *Hac iter est: dux ibo:ducis vestigia serua.*

SERVITVS DVRA. *Duceris,heus,errante viâ, deflecte.* NECES. *Reuerte*
Augustine gradum. SERVIT. DVRA. *Non audit currus habenas;*
Abripitur,nosque ipse pari secum ecce procellæ
Implicat inuitus, cogitque subesse ministras
Obsequio cuicunque volet. Iam nostra iacebunt
Imperia, aduersum dum consulet ista Voluntas.

NECESS. *Huccitò Nugarum Nugæ, carnisque Voluptas*
Ferte pedem. SERVIT.DVRA. *Ferte auxilium, dum muta Libido*
Elumbisque iacet, dum Consuetudo recisa
Viribus & neruis refugit conferre laborem.

VOLVPTAS. *Adsumus.* NVGÆ. *Auxilium ferimus.* VOLVPTAS. *Spe præcipe palmam.*

ACTVS



ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

AD Augustinum & Alipium Afer ciuis & in palatio militans Potitianus iter habet: ac ratione visarum super mensam lusoriam apud eos B. Pauli Epistolarum, S. Antonij vitam, ac subitam, mirabilemque duorum nobilium Valentiniani Imperatoris Assæclarum metamorphosim recenset.

ALIPIVS, AVGVSTINVS, POTITIANVS.

ALIPIVS.

QVando licet per iustitium quo ciuica passim
Iura silent, caussasque forum, litesque patroni
Confef.c 6 l.8. *Suspendunt, nec me vllius tutela clientis*
Occupat, Augustinum adeo: intermissa licebit
A curis mundi pugnantibus otia vitæ
Aeternæ studio stimulante, resumere. POTITIAN. *Tota*

Ecce

Ecce hodie in festos effusa est Curia lusus,
Quo-sua-quemque Libido tulit: mene ótia lentum
Sectari intereà, aut nugis traducere tempus
Addecet ignauum? non fecero: præstat amicos
Visere. Vicinas his ædibus aduena sedes
Augustinus habet popularis noster: ad illum,
Colloquio vt fallam curas, contendo. AVGVST. *Iuuentus*
Dum vacat à linguæ studio, quibus otia curis
Traducenda paro? Si nemo interuenit hospes,
Scripturarum auidos sapiente volumine Pauli
Pascam oculos. POTITIA. *Quia iudicio est limatus, & acer*
Ingenio, iuuat antè animo comprendere quæ sim
Dicturus. ALIP. *Cerne, ecqua tui fiducia vultus,*
Me tenet, Augustine: tuum per-forté-molestus
In studium irruo. AVGVST. *Parce, Alipi, hæc prætexere.* ALIP. *Cunctis*
Quòd modò Causidicis suspensa negotia, nostras
Suspendant operas, suspendant Lucra: procellas
Tantisper subterfugiens ac turbida mundi
Quæ sensum eripiunt animis molimina, veni
Vt tecum æternæ vitæ de rebus haberem
Colloquium. AVGVST. *Mihi, crede, tuo nil gratius ore est.*
Ecce autem forsan causâ compulsus eâdem
Potitianus ab Afrano vir littore nostros
Congressus petit. POTITIA. *Hem! salue Augustine: quid istic*

Rerum

Rerum agitur? quo sunt vestræ res ordine? AVGVST. *Plenæ*
Curarum, plenæ veprium, plenæque laborum.
Vt super his tamen à studijs curisque soluti
Liberiùs præter solitum nos inter agamus;
Accubuus mensæ pariter conside, morarum
Si quid amicitiæ lubeat concedere. POTIT. *Seclum*
Esse velim, nolim esse moram quam ducimus horam
Colloquio, tantum ex illo dulcedinis halat.
Sed quis ad extremum mensæ tibi procubat author?
Heus! etiam Pauli codex euoluitur? Error
Lusit opinantem læuum, Augustine, disertum
Esse aliquem de Rhetoribus, Physicisue, diurnâ
Quos versare soles dextrâ, atque exponere pubi,
Credideram. AVGVST. *Variare vices, teneroque palato*
Subseruire subinde iuuat. POTIT. *Lætorque, tibique*
Gratulor vnum oculis me Paulum offendere. AVG. *Pauli*
Vnus amor me deinde capit: me deinde sacrarum
In rerum studium contento incumbere sensu
Delectat. Nimis, heu! longo iam tempore nudis
Indulsi malè corticibus. POTIT. *Vis multa sacrorum*
Verborum est, defecatâ si congruus aure
Illa capis, prudens oculo si simplice voluis.
Sic Aegyptiacis nuper celeberrimus oris,
Cuius adhuc est fama recens, Antonius, vt se

Intulit

Intulit in templum, & verbum quod rite Sacerdos
Farre sacro faciens perlegerat, auribus hausit:
Vis perfectus & intemeratus viuere? vade
Omnia quæ possessa tenes bona patria, vende,
Ac precium da pauperibus, veniensque vocantem
Me sequere. Ille sibi ratus hæc oracula ferri;
Continuò templum egressus, bona cuncta parato
Vendidit, effuditque animo partitus egenis,
Vt potiorem emeret cæli super astra repostum
Thesaurum, diuina suis quem dextera seruat
Abstrusum penitus famulis. Mox ille relictis
Omnibus, ad Christum aspirans Christique sequelam,
Horrentem in syluis inter deserta ferarum
Lustra domosque gradu constante petiuit eremum,
Quam formidatus multum infernalibus vmbris
Dilectus Deo, & humano admirabilis ori
Excoluit, dum centum annis & quinque volutis
Illatus cælo est meriti maturus & æui.

ALIPIVS. *Nec visu facile hoc, nec dictu effabile, factum est.*

POTITI. *Non credis? nec adhuc vestras penetrauit in aures*
Fama viri? ALIP. *Nec pertenuis mihi sibilus vnquam*
Afflatus fuit. AVGVST. *Antoni nullum hospes inaudi*
Nomen adhuc. POTITI. *Immensa meam admiratio mentem*

Percellit, tam vulgatum facinusque, virumque
Esse nouum, vestris insuetumque auribus: omnes
Nunc adeo fines Itali, omnis Gallia plena est.
Nec modò fama viri terras peruasit, at eius
Ordo sequax fluxæ vitæ contemptor opumque,
Crescit in immensum. Melana suburbia nobis
Proxima alunt numerosum agmen, cœtumque virorum
Ordinis huius, & Ambrosio fautore, parente,
Nutritore. ALIPI. *Mihi sunt hæc insuëta* POTIT. *Lubebit,*
Vt fecistis, adhuc contendere nonnihil aures?
Hic aliud referam haud minus admirabile. Ternis
Nuper ego ad Treuiros socijs comitatus, in hortum
Exspaciaturi vnanimes concessimus, vno
Oblectante animum Augusto Circensibus; illic
Diuersas vt fortè vias bini ordine, nostrum
Quisque pererrabat; secreto limite nobis
Digressi duo, congesto malè cespite structas
Intrauere casas habitata cubilia Christi
Pauperibus famulis: partes mox ambo per omnes
Excurrunt incompositos in singula pleni
Curarum iaciunt oculos, Christo auspice librum,
Cuius erat folijs commissa fidelibus omnis
Anton I pia vita; vident: visum alter eorum
Arripit: euoluit, miratur, inæstuat, æstus
Augescit magis atque magis, gliscitque legendo.
AVGVST. *Cur, anime, excæcas oculos? cur obstruis aures?*

POTIT.

POTIT. *Nec mora, nec requies: meditatur, & ardet eandem*
Ire viam, Christique sequi vexilla relictis
Quæ vano tulerat mundi pro munere signis.
Atque vbi cum diuo concepit amore pudorem
Ingenuum, vertens in se vehementior iras,
Obliquos adstanti oculos affigit amico:
Et, quò nos, ait, his nequidquam exercita curis
Pectora? quò tantis exhausta laboribus ægrè
Terga fatigamus? quò tot discrimina? quò tot
Per mare, per terras casus euoluimus? ecquò
Quò tandem male fausti operum, aspirare paramus?
Quid petimus? quò militiam? quò prendimus arma?
Anne Palatinos inter dum viximus, vlla
Maior amicitiâ Augusti nos ludificat spes?
Quàm verò hæc fragilis! quàm multæ obnoxia morti!
Quàm serò expectata, venit! Si verò potentis
Aeternas in amicitias me Numinis optem
Insinuare, mihi vacat en locus. AVGVST. *Hæc tibi dicta*
Sunt animo: hic meritis vacat en locus. POTITI. *Hæc vbi dixit,*
Turbidus à partu cœli, vitæque recentis,
Reddidit intermissam operam, libroque refixit
Lumina, quem secum relegens taciteque volutans,
Mutatur sensim, sensim haurit robora, sensim
Exuitur mundo, donec vi victus ab igni
Quo diuino intus flagrabat amore, supremum
Angitur, ingemit, infremit, atque obuersus amico;

Decreui meliora, inquit, vincla omnia rupi
Spemque Aulæ, quæ me suspensum vana trahebat,
Abieci: iam iamque Deo sub paupere tecto hoc
Constitui seruire: audentem extrema sequi te
Si piget; at certè aduersari parce. Subinfert
Alter: ego tibi me tantis adiungere rebus
Militiæ tantæ, tantæ mercedis amore
Appeto, & impellor stimulis communibus. AVG. *Ecquid*
Vnà anime, illorum tantis te adiungere rebus
Appetis, & stimulo communi impelleris? POTITIA. *Illi*
Talibus inter se ardentes de rebus agebant,
Quando meo iunctus comiti interuenimus, illos
Hortantes tempus seræ decedere nocti.
Ipsi autem nobis mutatæ exordia vitæ
Prima renarrantes auidè petiere, molestos
Ne strueremus eis obices, si tanta pigeret
Orsa sequi. Sic nostra humilem nos corda trahentes
Per terram mœsti lacrymante palatia vultu
Augusti frustra comites repetiuimus. Illi
Cœlestes affixi animos cœlestibus oris
Angustas coluere casas. ALIPIVS. *Mutatio dextræ*
Excelsi est. POTITIA. *Felix casa quæ omnipatentibus infert*
Sedibus à nullo claudendis fine vel æuo,
Cultores. Mea ne verò præsentia vestras
Offendat verbis fortasse loquacibus aures;

Digredior

Digredior. AVGVST. *Recreas nos Potitiane: quid istæc*
Prætendis? remorare: POTITIAN. *Abeo: nam deuocor.* ALIP. *Ergò*
Nos alias vises maiora per otia. POTITIAN. *Visam.*

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

TImor extimulat Pudorem vt simul Augustinum duorum Aulicorum exemplo, ad vitæ mutationem inclinatum perpellant.

TIMOR, PVDOR.

TIMOR.

VIdisti, confuse Pudor, quibus vrserit Afer
Afrum Augustinum linguæ calcaribus? vtque
Mouerit ad meliora virum, similemque labanti
Carnis in illecebras, mundique furentis amorem, Confes. c. 7
In contemptum odiumque, retrò iam penè reuersum l. 8.
Impulerit? PVDOR. *Vidi ipse equidem, motumque tumultu*
Interiore animi ad vitæ cælestis amorem
Aspirantis, & in sese stomachantis inertes
Ob remoras, quas ille nequis superare, notaui.

TIMOR. *Tantùm adeò, ne lingua dolis instructa venenet*
Incautos animos, sermo Diuinus vt anceps
Mucro, potest, tantumque trahūt exempla bonorum.
PVDOR. *Ille autem quando in Diuina oracula pronus*
Nonnihil incepit faciles inflectere sensus;
Continuante deinde operæ certamine, nostris
Perpellendus erit stimulis. TIMOR. *Vt cedat, agendum est.*

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

TImor & Pudor obijciunt Augustino totius vitæ peccata, vt constiturus ante faciem suam videat quàm turpis, distortus, maculosus, & vlcerosus sit, atque exhorreat.

AVGVSTINVS, Timori & Pudori interuenit.

PVDOR.

EN verò, vt per aperta volans equus æquora frenis
Abiectis, veteri vitiorum compede, paullùm
Confef. c. 7 l. 8. *Excussâ lentaque sequi assuetudine solus*
Constitit, & secum meditans vestigia pressit.

A v-

AVGVST. *Excußi ceruice iugum pro tempore liber*
Seruitij antiqui, liberque Libidinis: ecquid
Me prohibet nunc enodes defringere nodos,
Et pede liberiore sequi, quò libera cæcis
Errorum tenebris ratio me deuocat? TIMOR. *Ito.*

PVDOR. *Ito celer, dira antè tibi quàm genua metat mors.*

TIMOR. *Mors à quâ scelerum veniet tibi iudicium trux.*

PVDOR. *Trux, quòd in æternum seclum tortura subit crux.*

TIMOR. *Crux horrente chao quàm circum-mixta volat nox.*

PVDOR. *Nox cuius tenebras horrescit cimmerias lux.*

TIMOR. *Lux quâ Cœlestes inuestit nubifugus sol.*

PVDOR. *Sol quo fonte fluit, qui mergitur Oceano sol.*

TIMOR. *I cito quò tua te virtus vocat, i pede fausto.*
Sin, implacati dirâ cum morte seuerum
Iudicis arbitrium nullo euitabile casu
Te manet: audebisque Deo contendere tanto in
Iudicio? PVDOR. *Tua si Deus exactißimus vltor*
Criminum, ad hoc æui commißa piacula pœnis
Castigare volet, quâ flammea Vindicis ora
Fronte feres? TIMOR. *Nonne ante tuos prudentis oberrat*
Nocte dieque oculos maculosæ mentis imago?

Confef. c.7 l.1. *Ecce tibi infectas animi vitiante medullas*
In matrice Parens maculas adſperſit,& hauſtæ
Semina labis ab ingreſſo ſpirabilis æui
Curriculo,grauidas vitij dominantis ariſtas
Eduxere:vides etenim (te iudice) ab vno
Vixque die natum infantem,licet ante reterſum,
Ad perpendiculum tamen Omnipotentis *, ab omni*
Non eſſe impurâ noxarum aſpergine mundum.
PVDOR.*Hoc meminiſſe potes dum preſſus ad vbera matris*
Lallabas,quàm multa illi faſtidia mœſto
Vagitu,lacrymâ indignante iraque lacertos
Componi indociles paſſim iactante per auras,
Attuleris,quàm ſæpe illam violaueris vngui!
Membra quidem tua tunc fuerint innoxia;certè
Imperitans membris animus innoxius eſſe
Non potuit. AVGVST. *Memini iſta mihi narrare parentem.*
TIMOR.*A te autem ſimulac ingreſſa puertia,præceps*
Confef. l. 1.c 9 & 10. *In luſus,oſor ſtudij,parere magiſtris*
Cap. 12. *Et patrios audire tua in compendia, nutus*
eiuſdem libri. item c. *Detrectans,aliquanta tamen poſt tempora, Graiam*
13.14 16. *Exoſus linguam, latialis amantior,auréos*
Impuro voluens oculo Iouis impotis imbres
Immiſſos Danaë gremio,laſciua Terenti
Obſcæni commenta,aliaſque libidine plenas
Fabellas,quoties Diuini Numinis iram
Te meruiſſe putas? PVDOR. *Nec adhuc tua plena rubo-*

ruboris
Ora verecundus Pudor, Augustine, colorat?
TIMOR. *Tecum animo reputa, quoties tibi pruriit auris*
Gloriolâ? quoties ludi spectacula, palmæ Cōfess.c.17. l.1.
Ceperunt oculos? quoties offendere verbo Confess.l.1. c.1.& 2.
Grammaticam puduit? cœlumque offendere factis Confess.l.1. c.18.
Non puduit? quoties dum ferro extrema sequutam Confess.c.13 l.1.
Didonem legeres, mæsto tibi lugubre pectus
Ingemuit? sed verò animæ pro funere nunquam
Ingemuit? PVDOR. *Quantis hominem scelus obruit vmbris!*
TIMOR. *Hactenus illa tibi vitæ fuit vnica virtus* Confess.c. 19.l.1.
Posse placere oculis hominum communibus: ore
Mendaci, liuore, dolis, furtisque, gulâque,
Rixosaque inimicitiâ, & certamine summo
Displicuisse Deo, tenui discrimine habendum
Duxisti. Simulac verò tibi facta potestas Confess.l.2. c.3.
Declinare iugum ferulæ crepitantis, ab anno
Aetatis decimo & sexto, cùm lenta sequutus
Otia palares per rostra licentiùs Aulæ
Ciuilis; quantæ, dominante libidine, summum
Excessere tuum vepres caput! PVDOR. *Haud erat vlla,*
Augustine, manus quæ pestem euelleret imâ
Ab radice. TIMOR. *Tibi mellis fuit instar amari,* Confess.c.2. l.2.
Lactis & instar amare: cui dum incumbis amori,
Lautus & vrbanus, comptus, concinnus, acutus
Festi-

Confeſ. l. 3. c. 3. & c. 3. l. 2. ſupra medium.

Feſtiuus petulante ioco, lepiduſque videri
Geſtiſti, ſocioſque greges ſuperare loquendo
Turpia luxuriæ ſegnes acuentia motus;
Multaque magnificè obſcœno pro nomine, nūquam
Dicta, vel acta priùs, iactando ſodalibus. Immò
Auſus es in medijs templi penetralibus, ora
Virginea intuitus, flammare libidinis ignes,
Exitiumque tui præſens, animæque ruinam.

Confeſ. l. 3. c. 3. Vnde me verberaſti grauibus pœnis ſed nihil ad culpam meam.

AVGVST. *Id memini, & quas hoc adij pro crimine pœnas*

TIMOR. *Nec te pomorum carptorum obliuia carpunt:*

Confeſ. l. 2. cap. 4.

Cùm leuium medius comitum ſub nocte ſilenti
Per ruptas vicina iſti in pomaria ſepes,
Moxque, rapi moriente ſuo de corpore, fœtus
Pro porcis, (non hos donatum munus in vſus)
Indignata pyrus, gemuit. Quid cætera dicam?
Quid fora litigioſa dolis offerta reuoluam?

PVDOR. *Multa tibi eſt hìc materia, Auguſtine, pudoris.*

TIMOR. *Quando autem à puero Baptiſmi ambiueris amnem,*

Confeſ. l. 3. c. 6. 7. 8. 9. & 10.

Cerne tibi quàm ſit grauior contagio culpæ.
Te Manichea implicitum caligine, lento
Dæmonis hærentem viſco, Carniſque ſequentem
Illecebras, tumido verbi ſermone diſertum
Deſertumque Deo, venerandos ore Prophetas
Abramum, Iſaacum, Iſacidem, Chriſtique ſequaces:
Ludificaſſe viros tunc inde abeuntibus annis

Penè

Penè nouem. Prudens per muta silentia linguæ
Cætera prætereo, quæ te meminisse necessum est,
Et citò detestari animo exsecrante furores
Præteritos. PVDOR. *Hinc iam veterem obliuisce-*
re carnem
Augustine: animi constans assueta refringe
Vincula: seruitij tua colla tyrannide solue.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

Viso Augustino, quem horribilis intus vehementer confudit Pudor ac Timor, Nugæ nugarum, & Vanitas abiectâ laruâ, suspicantur se statim repudiandas ab Augustino.

NVGÆ NVGARVM, VANITAS.

NVGÆ.

Quid Nugæ, tricæque meræ, gerræque leues, quid
Tantorum impensis operum confecimus vsque huc?

VANITAS. *Est vana, & vacua, & mendax, & futilis vmbra,* Abiicit sua laruâ.
Larua isthæc. NVGÆ. *Hodie antiquas exosus amicas*
Augustinus aget (quantum præsagia monstrant)
In fu-

In fugam. VANITAS. *Inexpertos hodie expertura furores*
Vt video, procul hinc exul miseranda fugabor,
Atque Augustini amplexu priuabor & vsu.
NVGÆ. *Luctari tamen intereà contraque reniti*
Quà vis, quà fortuna sinet, me consule, fas est.
VANIT. *Hortor ego, si nos abiget, quæcũq; sequetur,*
Multa voluptatum ante oculos incommoda poni,
In quæ si cadat, in certos incurrere luctus,
Et mortem poterit. NVGÆ. *Nobis opus arte magistrâ est.*

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

Mortis & futuri iudicij Timor ac Pudor Augustinum à profundiore voluptatum carnalium gurgite reuocant, hortanturque hæsitantem mori morti, & vitę viuere, vt ad castam dignitatem Continentiæ oculos & aures conuertat.

TIMOR, PVDOR, CASTITAS, AGATHA, LVCIA, AGNES, CÆCILIA, FIDES, SPES, CHARITAS.

TIMOR.

Lentescis nimis hîc, nimis Augustine; moraris
Optima diuini Consulta capessere nutus:
Venit summa dies, & ineluctabilis hora,

Hora

Hora tuo positura modum legemque veterno.

PVDOR. *Augustine suo, quem trux inimica, tenaci*
Detinet implicitum nodo, dum vxorius ardes:
Nullus adhuc perfricta tibi interfusus inerrat
Ora Pudor: frontem, meretrix vt adultera, fucas:
Nec memorem in sensum reuocas, oculisque reponis
Culparum tetram illuuiem & lethale venenum,
Quæ faciem tibi turpificant, animamque neci dant.
Nunc verò, nunc tempus adest quo exactus in vnam
Congeriem, quasi sentinam, tibi turpiter omnes
Proÿciam in vultum sordes miserabilis æui
(Quàm longum fuit) exacti, vt tabente Pudore
Offusus, te ipsum fugias, metuasque tueri,
Ac vitæ melioris iter cœlumque capessas.
Quos ego mox tibi propositis tot sordibus, æstus?
Quas tempestates diuæ formidinis vltor
Tàm serò conuersi animi ad cælestis amorem
Numinis inÿciam in pectus! Sed me increpat hora.

TIM. *Fœmineo cōstricte hamo, Augustine, negabis*
Pollutas exire vias, castoque maniplo
Virginei gregis in cæli qui sede triumphat
A palmâ duplici, socium te adiungere? CASTIT.
Tempus
Est, castarum acies diuarum intacta, tyrannis
Barbaricis olim formidatissima, tempus
Est medÿs vestras vires producere campis,
Est tempus Nugas & vana crepundia, captum
Quæ spe Augustinum lactant mendace, perenni
Profligare fugâ, victriceque plaudere palmâ.

Confess. l. 6. c. 16. Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnaliū gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicij tui.

THECLA.

THECLA. *Virginei, Dux alma chori, quia principe Christo.*
Qui se Augustini disponit amoribus, arma
Instruis, ac tecum in vanos diuinitus hostes
Nos rapis, optatum præsumere posse triumphum
Tereor. CASTITAS. *Augustini igitur, quæ copia vobis*
Armorum est, veteres longè dispellite Nugas.



SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

AVgustinus in grandi rixa interioris domus suæ, quam fortiter excitauit anima eius in cubiculo suo & corde, tā vultu quàm mente turbatus inuadit Alipium, & exclamat indignabundus quod voluteŕur in carne & sanguine vt Palatinos inscientes non pudeat, non sequi: Timor & Pudor detecta Vanitatis turpi facie, quam tegebat larua, vrgent; nihilominus eum retardant Vanitas & Nugæ nugarum quæ eius succutiunt vestem. Secedit in hortulum hospitij Augustinus secretus ab Alipio comitante Timore ac Pudore, qui omnia salutis impedimenta protinus excutiat, cohortantur.

AVGVST.

AVGVSTINVS, ALIPIVS, TIMOR, PVDOR, NVGÆ, VANITAS.

AVGVSTINVS.


Vid patimur? quibus admotis calcaribus ima ad Confeſ. c. 8 18.
Ilia pulſamus? quænam inſonuêre flagella
Auribus? & torpemus adhuc retinente grauati
Carne? quid hoc, Alipi, eſt, quod nunc audiuimus? Ecce
Diſcuſſo ex animis terreno puluere ſurgunt
Indocti, & cœlum rapiunt: nos vero ſuperbâ
Doctrinâ in cumulum ornati ſine cordibus, ecce in
Carne volutamur molles & ſanguine. At illi
Quòd præiere, ſequi fortaſſe puderet inertes.
O nos in Carnem haud ſegnes, non perpudet illos
Nec tandem ſequi! TIMOR. *Ab hoc lento te proripe viſco,*
Auguſtine: Caro & ſanguis cœleſtia nunquam
Regna petent. PVDOR. *Quanto verò tu in ſanguine, quantâ in*
Carne volutatus fueris, ceu immunda luto ſus,
Tecum expende. VANITAS. *Verecundo noſtri ne Pudore*
Tangeris Auguſtine? vide quæ forma, quod extra
Sit ſpecimen! PVDOR. *Vano nimium ne fide colori*
Credulus Auguſtine: vide quæ larua, quis intra
Horror, & informis forma, & graueolentia.

VANITAS

VANITAS. *Prodor:*
Turpificata patet vultus infamia. AVGVST. *Vultus*
Infelix dum fœmineos ego diligo, laruas
Diligo & horrenti grauidas putredine conchas
Diligo, gypsatis inclusa cadauera formis
Diligo. NVGÆ. *Acerbata in nos en se suscitat irâ:*
A nobisque (licet sileat) crudele minatur
Exilium: nam frons, oculi, vultusque, genæque
Et color incessusque notant quæ turbida secum
Proloquitur. Verùm en secedit ad hospitis hortum.
VANITAS. *Nusquam eius lateri socio auellamur.*
AVGVST. *Ab omni*
Secernor censore oculo, socioque tumultu,
Liber vt ardentes commoti pectoris æstus
Effundam, atque omnem tractare licentiùs ausim
Quam mecum occœpi litem. Nemo arbiter isto.
ALIPI. *Quos! ô! quos patior secreto in pectore motus!*
At quorsum Augustinus abit diuersus? in hortum
Fortè: sequor. AVGVST. *Dum seditio quæ turbida pectus*
Exagitat, ponatur, in hac ego sede quiescam:
Confes l. 8. c. 8. Ego fremebam spiritu indignás turbulétissima indignatione in placitum & pactum tecum Deus meus.
Namque procellosum indignanti murmure fluctum
Spiritus infrendens tollit, stomachatur, & æger
Succenset tecum in placitum pactumque volucri
Me non ire gradu, Deus ô meus, in quod eundum
Esse mihi collisa sonis concordibus ossa
Omnia conclamant, pariterque ad sydera tollunt.
Ad te autem ire, Deus, vel tandē attingere quid sit

Non

Non video, quàm perfectè, quàm fortiter ire
Velle: sed vna mihi quasi saucia & ægra voluntas,
Quam varias verso in partes sursumque deorsumq;
Assurgendo, cadendo: bisulca vocanda voluntas
Est potiùs. Quando alme Deus, quando omnia rūpes
Vincla, quibus trahitur terræ mea pronà voluntas?
Cras iterum? ergò iterum referes in crastina vitam Ex cap. 11. l. 8.
Tempora? quin iam iam facis? ô! fiat modò, fiat
O! modò, ne modò non habeat finemque modumque,
Quid mortique mori, quid vitæ viuere tardo?
Vsque adeone mori morti, est miserabile? fiat
Momento hoc: sed & hoc dum cogito, turbidus horrêo
Hoc momentum, & adhuc paullum suspendor. TIMOR. *Abite*
Hinc tricæ nugæque meræ: procul ite leues spes,
Hinc vana, hinc vacua, hinc mendax, hinc futilis Vmbra.
PVDOR. *Augustine agedum tua carnea vincula rumpe,*
Rumpe vetustatis prauæ retinacula, rumpe
Omnia futilium Nugarum obstacula, ne pòst
Præcludente tibi fauces ac tempora fato
Intempestiuo, nequeas abrumpere. Nescis
Mortem incursurum, carnis qui lege modoque
Vixerit? AVGVST. *Hoc perlegi oculis dum voluere Paulum*
Contigit. TIMOR. *Immensum cur cœlitus agmen aquarum*
Nascentis quondam sub prima crepundia mundi

Omne adeò genus in terris hominumque ferarũqu.
Imbribus aërios montes superantibus hausit?
Cur Deus humano generi sic machosus ademit
Spiritum? ait Moses: cur sulphure fumat, & igni
Pentapolis? cur Isacidûm populique fidelis
Agminibus missæ loca per deserta fuerunt
Innumeræ clades, formidandæque ruinæ?
Nempe suam caro cuncta viam corruperat. Istæc
Pernôsti. AVGVST. *Pernoui equidem, mecumque peregi*
Antè animo. TIMOR. *At quisquis nutum pernouit herilem,*
Nec propensus obit, grauibus luet ille flagellis.
AVGVST. *Ille quidem referet, scio, non indebita culpis*
Præmia. TIMOR. *Et immunem pœnæ te rere futurum*
Ni tibi demutata loco sententia cedat?
PVDOR. *Tolle tamen pœnas: vnum perpende pudorem,*
Qui tua perfundet stupidis cum sensibus ora,
Quando lues animi tua mille fluentia tabo
Vlcera, fœminei contracta libidine vultus,
Omni adeò coram mundi spectante theatro,
Putida iudicium cunctorum oculosque subibunt.
AVG. *Vlcera fœminei contracta libidine vultus*
Putida iudicium cunctorum oculosque subibunt?
Væ tanto offundenti animum vultumque pudori.
Proinde valete meræ Nugæ, vale vana Voluptas

VANITAS.

VANITAS. *Quo rapere, Augustine, tui malè nescius aui*
Florentis, quod fœmineo propendet amori?
NVGÆ. *Quò moriturus abis, heu! rerum oblite tuarum?*
VANITAS. *Quò periturus abis, stulte imprudensque laborum,*
Qui pressum caput obuoluent, rectamque necabunt
Indolem? NVGÆ. *Ab hoc nostro te proripis illice?*
VANITAS. *Nosne*
Deseris? amplexus nostros, nostra oscula spernis?
NVGÆ. *Nosne fugis, molles quas mollis amicus amicas*
Pubertatis ab ingressu coluisse fateris?
VANITAS. *Nos dimittis? ab hoc æterna in secula puncto*
Non erimus tecum! Nec verò hoc deinde licebit
Amplius, aut illud, tecum quæ gessimus olim?
AVGVST. *Quas videor Nugas nugarum audire querentes,*
Mussantesque mihi à tergo, remoramque parantes,
Et furtim quasi succussos abeuntis amictus
Vellentes? TIMOR. *Caue cunctari: caue mente vel aure*
Seirenum melos excipere, Augustine: susurrent
Quamlibet: euge illis te protinus eripe, teque
Excute, quóque oracla trahunt cœlestia, transi.
CONSVETVDO. *Quid, miser Augustine, paras? quo transfugis? anne*

Confes. l. 8 c. 11. Retinebāt me Nugæ nugarum, & Vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestē meam carneam.

Confes. l. 8 c. 11 Quas sordes ingerebant, quæ dedecora!

Assuetis poteris tandem desuescere: durum est:
Confes.l.8. c.11 Retardabant me cunctantē. *Non poteris.* NVGÆ. *Poterisne sine his! poterisne*
sine istis?
Non poteris. TIMOR. *Ne crede dolis, ne crede loquaci,*
Augustine, potes namque omnia viribus eius
Nixus, ad hæc fragilis qui te certamina carnis
Roborat. Aduersæ potius tua lumina Diuæ
Virgineo quæ clara choro stat in æthere, fige.
Illa tuas, si quæ superant, à pectore curas
Eximet, & placidâ compostum in pace reponet.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

CAstitas Timore ac Pudore adiuta, sanctarumque Virginum chorus, monent Augustinum, spectante eminus Alipio, & frustra contendente contrà Vanitate ac Nugis, vt proijciat se in Dei prouidentiam, neque metuat defuturam eam auxilio, quo factum est vt tot teneræ Virgines (grex bonorum exemplorum) carnis omnes aculeos, ac Tyrannorum tormenta superarint: tum eum irridet irrisione exhortatoriâ, quasi diceret: tu non poteris, quod isti & istæ?

Loquitur

Loquitur CASTITAS cum sanctarum Virginum choro ex eminentiore loco, quasi ex cœlo.

CASTITAS.

AVgustine veni, dubios depone timores:
Horror eat: me namque vides te voce vocantem
Pandentemque sinum stringendaque brachia collo
Virgineosque greges euinctos tempora sertis
Monstrantem, quorum castos imitabere mores.
Euge animi, nitidam hanc oculo circumspice turbam
Lucidior quæ Cœlectes intermicat (instar
Astrorum rutilo candentium in æthere) cœtus.
Audito hanc, contemplator, mirator, ab vnâ hac
Disce omnes. AVGVST. *Dum fœmineum genus intuor, ore*
Confundor. CASTITAS. *Rudibus quàm se constanter ab annis*
Carnis in aduersas acies atque arma tulere
Victrices illæ octo animæ, meditare: tenellos
Percurre articulos & mollia corpora, molli
Alta cibo. Nec adhuc oculum stupor vrget inertem!
AVGVST. *Tam teneræ dent tanta viro calcaria nymphæ!*
CASTITAS. *Si fragili sexu, fragili si ætate puellæ*
Tantùm adeò aggressæ facinus potuere, vir vnus
Non poteris? AVGVST. *Validæ stimulos peruincere carnis*

Confes. l. 8 c. 11. Aperiebatur abea parte qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ.

Eia puellares animæ, mollißima vestris
Membra super terram telis configite: certâ
Morte cadant: in dißidium si murmura tollant;
Augustinus ijs obsurdeat. THECLA. *Impiger aures*
Ambiguas, variosque oculos huc dirige, meque,
Augustine, vide: quæ proloquor, impiger audi.
Illa ego sum illustri sata sanguine Thecla, iugalis
Quæ thalami patrio sponsalia dedita nutu
Thamiridi, à Paulo munita fidelibus armis
Effugi, mihi cùm vitæ lacrymabilis octo
Atque decem effluerent anni. AGATHA. *Nunc lumina verte huc:*
Meque Agatham Siculis clarisq; parẽtibus ortam,
Et paribus tædas odijs stimulisque iugales
Exosam, vt casto cœlis inferrer amore,
Aspice. CÆCILIA. *Diuersos à me ne disijce vultus,*
Augustine, grauis neu sit mora parua, videbis
Cæciliam, quæ Romuleæ quondam Vrbis alumna,
Et voti rea virginei dum mollior ætas
Esset, mortales sum dedignata maritos,
Digna Dei flammâ potiore. LVCIA. *Nihilne meorum,*
Augustine, quibus beor hîc, gustabis amorum?
Illa Syracosio quæ concidit ense Tyranni
Paschasij, accusante Proco, sum Lucia. AGNES. *Dignas*
Quas prudens imitere, oculo mirante puellas

Auguſtine vides: at quas nunc inde notabis,
Attonitos rapient hebeti cum pectore ſenſus,
Quòd ſibi virgineis animis lactentis ab æui
Principio, Chriſti thalamos & regna pararint.
Aſpice Romanam Agnetem cui nomen ab Agno
Nobilibus natam proauis, quàm tertius annus
Ac decimus cœlo, pro virginitate, beatam
Compoſuit. FIDES. *Ternas terno ordine cerne ſorores,*
Quarum ego prima Fides, cùm vix mihi vita ſecundum
Ac decimum fato Diuino euolueret annum;
Caſta triumphatis emerſi à morte tyrannis.
SPES. *Aſt ego quæ Fidei germana ſecunda vocor Spes,*
Præmia ſeruata mihi virginitatis adulta
Spe, maior ſæclis, animiſque virilibus, annos
Nata decem rapui cœlo, victrixque reſedi.
CHARITAS. *Grauigenis ego dicta Agape poſtrema ſororum*
Vix annos ingreſſa nouem, pro flore pudici
Corporis, æternoque thori cœleſtis honore
Non poſtrema humiles terras, & inania ſpreui
Nomina. AVGVST. *Fœmineo me vinci à pectore, turpe eſt.*
THECLA. *Flamma, feræ, tauri, ſerpentia colla, quibus me*
Obiecere truces crudâ pro morte tyranni,
Terrenis vt polluerer malè ſordibus, atque

Quæ

Quæ dederam ſemel antè Deo ſacra vota, futuræ
Virginis, infando temerarem impurior auſo;
Nil potuere (mihi nam corporis illibati
Æternum decus, atque dati protractior æui
Terminus ad nouies decimum feliciter annum,
Pertigit.) Hæc ego ſi potui peruincere: Tu vir
Non poteris? AGATHA. *Mihi nil Siculi vis Præ-*
ſidis olim,
Nil fraudes Aphrodiſiæ meretricis, & artes,
Nil colaphi, carcer, flammæ, nil denique mammæ
Exciſæ potuere Dei reſtinguere amorem
Virgineum. Hæc ego ſi potui peruincere: Tu vir
Non poteris? CÆCILIA. *Sibi me cùm Valerianus*
haberet
Coniugio non ſponte meâ, ſed iuſſa ſequutam
Patria, ſeruatâ pro virginitate, maritum
Incorrupta Deo adduxi cum fratre, videndus
Vt primùm ante oculos illis rutilante refulſit
Angelus in ſplendore, mei cuſtoſque ſaluſque
Corporis: inde focos ſuperans & balnea victrix
Euaſi. Hæc ego ſi potui peruincere: Tu vir
Non poteris? LVCIA. *Patrijs ego deſponſata ma-*
rito
Nutibus, indigna abrupi ſponſalia: moxque
Ad fœdum caſto violanda Pudore lupanar
Iuſſa trahi, admotiſque manens immota quadrigis
Nec pice, nec reſinâ, neque vi feruentis oliuæ
Saucia, victricem transfoſſo gutture palmam
Arripui. Hæc ego ſi potui peruincere: Tu vir

Non

Non poteris? AGNES. *Symphroniades dum carpitur igni,*
Connubiumque meum exposcit, nihil illice verbo,
Nil vultu, nil muneribus, nil carcere, nil vi
Flammarum, nil prostibulis infamibus unquam
Effecit, Christo vt sacros furarer amores
Sacrilega. Hæc ego si potui peruincere: Tu vir
Non poteris? FIDES. *Virgas ego, mammillasque resectas,*
Carbonumque, foco circùm flagrante, furores,
Et cacabos, piceosque globos, & pingue bitumen
Igne vaporatum, atque atrocia spicula vici
Magnanima. Hæc ego si potui peruincere; Tu vir
Non poteris? SPES. *Tauri neruos, horrentia tergo*
Flagra, ego, & vndantes calidis fornacibus vngues,
Districtamque aciem, & flammas feruentis aheni
Inuicta æternæ potui pro laudis amore
Perferre. Hæc ego si potui peruincere: Tu vir
Non poteris? CHARITAS. *Loris extensa immanibus, omnis*
Materiæque strue incensos incensa caminos,
Virgineumque trucis iussi tortoris ab ense
Trunca caput, cœlestis ego pro munere Sponsi
Peruici. Hæc ego si potui peruincere: Tu vir
Non poteris? AVG. *Tatique mihi dux fœmina facti!*
Perpudeat, carnis nisi tandem euasero victor.
THECLA. *Augustine, animis opus est ingentibus: aude,*

Teque animet, quâ iam beor, incomprensa Voluptas
Parta labore breui. AGATHA. *Qui sit mihi iubi-*
lus, audi.

AVGVST. *O! quod in attonitas, cœli melos in-*
fluit, aures!

CÆCILIA. *Qui mihi cornicines, quod multifora-*
tile buxum
Cœlestes inter choreas nunc adsonet, aure
Excipe. AVGVST. *Quæ dulcedo!* LVCIA. *Tibi*
vin cœlica ludat
Fistula? AVGVST. *O! abripior stupidis à sensibus.*
AGNES. *Istæc*
Singula, quæ præter solitum exultantior hauris
Auribus, implerent alijs concentibus aures,
Audiri si iuncta queant. SPES. *Nil deinde labo-*
res,
Qui-te-cunque prement, metue Augustine: peribunt
Continuò, teque in cœlis æterna manebunt
Gaudia. FIDES. *Felices pœnæ, quæ cœlica ve-*
ctant
Gaudia! CHARITAS. *Iam lacrymæ nullæ, nulli-*
que dolores,
Dissidium nullum, certamina nulla: quierunt
Omnia: pax irrupta meas circumsidet aures.

AVGVST. *Immensum lacrymarum imbrem, in-*
gentemque procellam
Excitat hæc audita mihi dulcedo, chorique
Virginei ad tantas monstrata exempla coronas.
Surgo, abeo, socio secedo remotior: vt sit

Fortè

Fortè onerosa mihi illius præsentia, liber
Ne lacrymarum imbri fœcundo incumbere possim,
Subuereor. TIMOR. *Nugæ nugarum & vana Voluptas*
Este procul: sancto procul este profana dolori
Gaudia: Namque immanè Caro malè lubrica differt
Spiritui. ALIPIVS. *Fluctus ecce Augustinus & Vndas*
Quæ scrupis animam feriunt fodicantque dolore
Ferre nequit: Fletu grauidus secedit: ab illo
Nunquam hodie diuersus ego mea lumina vertam.
NVGÆ. *Augustine procul veteres dispellis amicas?*
VANITAS. *Augustine cupidineos ita spernis amores?*
NVGÆ. *Obfirmatus abit: nos intractabilis horret.*
VANITAS. *Obfirmatus eat pro tempore: spernat amores*
Fœmineos, eius dum tetricus adsonat auri
Diuinus Timor atque Pudor: patiemur inultæ.
At verò mihi tempus erit, cùm fortè Timore
Segrege, decipulâ incautum conclusero. NVGÆ. *Cæcas*
Intereà nocte insidias & retia tendam.
TIMOR. *Tende dolos.* PVDOR. *Pone insidias & retia.* TIMOR. *Fidi*
Nos Augustino, Diuo dum munere vitam
Sospes aget, comites extrema per omnia semper
Ibimus, vt vestras liberrimus exeat artes.

SCENA

SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

MIsericordia Diuina permota precibus Augustini clamantis. Et tu Domine vsque quò? vsque quò Domine irasceris in finem? quàm diu cras, & cras? abrumpit carnis vincula, quibus ad trigesimum ætatis annum illigatus fuerat, extinctis Libidine, Cõsuetudine, Senectute antiquâ, & Necessitate post lectam Pauli sententiam ad Rom. 13: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, &c. Monitu Angeli cantantis: Tolle, lege. Quam animi mutationem in Augustino Percipiens Alipius ad eum accedit, causam interrogat: respondet à lectione Pauli euenisse Diuinâ admonitione: iubet sibi legi quod sequebatur; nempe: Et infirmum in fide assumite. Quod ille ad se refert & sine vlla turbulentâ cunctatione in conuersione Augustino coniungitur. Inde ad Monicam ingredi, & quod contigit ei Ambrosioque narrare constituit Augustinus, ac demum Baptisma petere.

MISERICORDIA DIVINA, ANGELVS, AVGVSTINVS, ALIPIVS.

MISERICORDIA.

Ecce ego clementis Miseratio Numinis, alto
Lapsa, Augustini prisca Assuêtudinis ærea
Vincla, quibus fuit in Carnem distractus ad
vsque
Hoc aui, tandem venio defringere, eumque
Confes. l. 8 c. 12. Et tu Domine vsquequò? vsquequò Domine irasceris in finem? quamdiu cras, & cras? quare nō modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ. *Seruitij laxare iugo, Christoque sacrare.*
AVGVST. *Hei! quonam vsque Deus? quonam vs-*
que erroribus atrox
In finem irascère meis? Veterum, oro, mearum
Desine culparum esse memor. Quamdiu ingemo cras,
cras?
Heu! cur non modò? cur non hac ego lentus ab horâ
Obscœnis finem vitijs impono, modumque?
ANGEL. *Tolle, lege: ciä, tolle, lege.* AVGVST. *Vnde*
insuêta repentè
Oda meas gemitu plenas adpellitur aures?
An medios inter lusus cantare puelli
Tale solēt? nunquā memini me audire. Quid ergò est?
Nescio: ni tali monear diuinitus ore,
Vt Pauli arripiens tollamque legamque volumen.
Tollo, lego, quidque ista velint oracula, voluo.
ALIPIVS. *Repressit lacrymarum imbres, animi-*
que procellas
Augustinus: eum propiùs vestigia flecto:
Namque illum tempus iam compellare. AVGVST.
Subit nunc
In memorem magni AntonI conuersio mentem,
Dum subit ista meos oculos sententia. Quàm me
Hæ

Hæc tangunt! quanto me hortatur & admonet ore
Paulus! Abi anxietas: secura superuenit hora.
MISERI. *Frāgo catenatos obices: cade prisca Libido:*
Consuētudo vetus morere: eluctabilis esto
Iniquitate claudicans Necessitas:
Imperium, tumidūque animum cum robore in auras
Seruitium crudele vome. Augustine, repostus
Pace, dëinde Deo serui, cœloque potire.
AVGVST. *O! quā perfundi me sentio luce! Voluptas*
Et Caro iam penitùs compressa obmutuit. Ibo,
Baptismumque petam. ALIP. *Augustinus, vt haurio visu,*
Lætior exteriùs planè mutatur, & intus,
Immò ego nescio quid solito iucundius, atque
Cælesti vitæ Diuisque propinquius ausis
Mente agito. AVGVST. *Pacem hîc, Alipi, requiemque tumultus*
Pectoris inueni Pauli de codice. ALIPIVS. *Volue*
Librum iterùm: fortasse etiam reperire salutem
Fluctibus ipse meis potero. AVGVST. *Quàm vellicat aures*
Hîc nostras Deus! ALIPIVS. *Ecqua tibi est obiecta legenti,*
Vt te admiratum rapiat, sententia? Cerne
Quæ modò lecta tuis oculis subiecta sequantur.
Ista meæ infirmæ fidei sententia planè
Concinit. Euge sacrū vnanimes Baptisma petamus.

Non in comessationibus & ebrietatibus, nō in cubilibus & impudicitiis, non in cōtētione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesū Christum & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis. Rom. 13.

Infirmum autem in fide assumite. Rom. 14.

AVGVST.

AVGVST. *Fixum animo id, certumque sedet: verùm omnia matri*
Ante renarrabo, vt quæ solicitudinis æstu
Pulsa fuit, petijtque meam studiosa salutem;
Nunc positis lacrymis, positoque angore triumphet
Lætitia. Sed & Ambrosium (cui debeo totum hoc
Luminis, & noua cælestis spiramina vitæ
Quæ trahere incipio Diuinâ gratiâ) adibo.
Quas potero grates referam haud ingratus, eumque
Semper honoratum, dum vita superstes, habebo.



SCENA NONA.

PERIOCHA.

Misericordia Diuina, vt animo diligenti modos varios, quos ipsa ad salutem peccatorum assiduè init, secum expendat humanum genus, hortatur, quò instar Augustini, qui se ad Baptismum cum Alipio parat, ad nouum genus vitæ ineundum, se etiam, relictis peccatis, accingat.

MISERICORDIA.

Barde inter degens pecudes homo, nobile magni
Plasma Dei, cæli, nisi contrà veneris, hæres,
Multiplices expende modos, & mille viarum

Maan-

Mæandros, quos ætherei Miseratio Patris
Irrequieta, dies noctesque, domique forisque
Ingredior, quibus exitio diuertere possim
Errantes animas, illasque inducere cœlo.
Ecce Augustinus iam tum pubentis ab æui
Limine, ad vsque viri florentia tempora, demens
Quæ-se-cumque tulit mundi ad fallentis amorem;
Hàc tacitè subÿ, geminansque flagella Timoris
Atque Pudoris, ab illecebrâ mendace remoui.
Quà verò exÿt ille meis parere moratus
Consilÿs, carnisque suæ diuortia iniuit;
Hàc ego mox vrgere tenax calcaria verti.
Hos aditus, iamque hos aditus, omnemque petiui
Vndique circuitum, donec vincla omnia tumpens
Seruitio miserum exemi, sacroque nouatum
Chrismate transcripsi per iura fidelia Christi
Militiæ, cuius communia symbola purâ
Veste ferens nouus en Tiro in fera bella parat se.

Conf. l. 8 c. 11. Instabas tu in occultis meis Domine seuera misericordia flagella ingeminans Timoris & Pudoris.

SCENA DECIMA.

PERIOCHA.

ALipius Monicæ de Baptismo ab Augustino suscipiendo lætitiam subministrat: illa exultat ac triumphat, memoriâ repetens visum olim in somnio de Augstini conuersione ab Angelo declaratum. Augustinus Diuinæ Misericordiæ de collato sibi

tanto beneficio, multas cum affectu summæ pietatis gratias agit.

ALIPIVS, AVGVSTINVS, MONICA, MISERICORDIA.

ALIPIVS.


N matrona quod optanti quasi præscius olim
Præcinui, voluenda dies tibi detulit vltro.

MONICA.

Quanta voluptatum mihi flumina suggeris istoc
Augustine diu optato baptismate! AVGVST. *Tantos*
Hoc ego si, venerata Parens, baptismate sensus
Lætitiæ præter solitum tibi suscito; quantos
Ipsa putas animo me persentiscere? MONICA. *Tanta*
Præsentis mihi lætitiæ vis æstuat imis
In fibris animi atque altè iam exuberat, illam vt
Vix teneam claudăque intus; quin omnis ad auras
Prouolet. ALIP. *Hoc Diuo tibi non sine Numine venit*
Cœlitùs. MONICA. *Illud erat mihi quod per somnia cœli*
Cap 11. l. 3. Confes. *Nuncius oraclum felix prædixerat olim;*
Nunc repetò, cum multa querens tua tristia facta
Ingemerem, & longo stratam mœrore mihi spem
Erigeret; cernisne, inquit, quo mæsta loco stes?

Cerno,

Cerno, inquam, tunc ille: vbi stas, & natus ibidem
Stat tuus. In tenuem ex oculis euanuit auram
Hæc effatus. Ego fixo loca singula visu
Circumobiens (sopor illud erat) te in lineâ eadem
Et loco, vbi stabam, vidi perstare. Futurum
Scilicet hoc baptisma tuum, hæc oràcla canebant.

AVGVSTINVS.

Illa Dei incomprensa fuit Miseratio, quæ me
Abiectum cinerem ac terræ sine nomine pondus,
Aeternas meritum flammas, miserata refractis
Errorum vinclis, cælorum in tramite ponit.

MONICA.

Qùas! ô! quas iræ indocilis Miseratio proli
Propitiata meæ potero tibi pendere grates?

AVGVSTINVS.

Quas! tibi quas tanto referam pro munere laudes
Pauperum ego pauper longè pauperrimus? Ecquid
Retribuam tibi magna Dei Miseratio flecti
Cerea sponte tuâ? MISER. *Quanquam es pauperrimus, ipsum*
Dà mihi te, & satis est. AVGVST. *Vtinam maiora rependam.*
Intereà quæ facta tuos ego munera in vsus
Accepi, tibi reddo animam hanc, corpusque fideli
Sacra ministerio. MISER. *Fidenter abito: mihique*
Dede, velut spondes, operas, operumque labores
Nusquam abero: ipsa olim quæ te miserata præiui
Indiuulso animi studio, comitabor, & æui

Vsque sub extremum, dum iure beabere cœlo,
Subsequar. MONICA. *Ecqua mihi deinceps discrimina mortis*
Sint remora? Nihil est posthac quod viuere poscam,
Confes l. 9 c. 1. *Quando habeo totâ dudum quod mente petiui.*
AVG. *Christe Deus, quæ tura tuas adolebo per aras?*
Quæue à me tibi vota fluent? namque ecce repentè
Quas acer fuit ante metus deperdere suaues
Nugarum nugas, mihi iam deperdere suaue est.
Quippe meo procul has animo discludis abactas,
Proque illis, variante vicem statione, subintras
O dulcedo tuâ immensâ dulcedine vincens
Omnem omni de flore fauum. Quàm serus amaui
Te, vera ò cœli dulcedo, animæque voluptas.
En amo; si paullum est, ò! amem vehemẽtiùs. O! quid
Cōfes l. 9. c. 1. *Sentio! quæ mihi, quæ cœlestis amoris arundo*
Transadigit costas, & crates pectoris! ohe!
Christe meum cor amore tuo sine more sagittas!
Euge, Alipi, placet hîc mecum ora resoluere cantu
Ingratas Domini laudes? ALIP. *Et iure.* AVG. *Præibo*
Præcentor Lydio cantu: tu deinde sequeris.



EPILO-

EPILOGVS

AVditores ad Misericordiæ Diuinæ amplexum, ad B. Augustini imitationem, breuiter exhortatur.




Idistis, Tornacigenæ, quæ pænè per annos
Triginta tenebræ & vitiorum vincula solui
Indignata Augustinum tenuere, quibusque
Sæpe vijs immensa Dei Miseratio contrà
Irrequieta, sequi dubium meliora, solutis
Obicibus, Fidei ad lumen, cælumque vocauit.
Vos, si quæ tenebræ vitiorum & vincula captos
Impediunt; reuocate animos; contendite lucem
Prendere: damnosas culparum exite catenas.
Ecce stat infinita Dei Miseratio vestras
Ante fores, nuit, inuitat, rogat, obsecrat, vrget
Per Patris æterni, per Christi viscera, per vos,
Per si quod desiderium, si cura salutis,
Si quis inextincti metus & formido camini,
Si quis adhuc sensus, si qui implacabilis horror
Iudicij est, obtestatur, mora nulla, sequaces
Tandem Augustini, vitiorum incumbite vinclis
Rumpendis, validi prensando incumbite cælo.

DEO GLORIA.

DOMVS EVANGELICI PATRISFAMILIAS EX MATTH. CAP. XXIV. MAR. XIII. LVC. XII.

VIgilate quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Si dixerit malus seruus in corde suo : moram facit Dominus meus venire : & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis; veniet Dominus serui illius in die quâ non sperat, & horâ quâ ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis : illic erit fletus & stridor dentium.



DRAMATIS
PROLVSIO.



Vid ora linguis consilentibus vestra
In me, viritim versa figitis Belgæ?
Miramini quòd veste barbara cinctus
Vt ludionum primipilus, angustum hoc
Proscenium, proludium, auspicaturus
Ante occupem? meumne nomen obscurum est?
Ego Poëtæ qui tragœdiæ mistam
Comœdiam vestræ cupidini exornat,
Sum, quem Latini pristini vocauere
Genium, Laremue familiarem: alumna autem
Et Christianæ regulæ sequax, ætas
Cunis ab ipsis Præsidem datum humanæ
Vitæ Angelum me appellat atque custodem,
Vt per salebras, hostium per & casses,
Per furta belli, perque aperta, per damna,
Per cæca noctis nubila explicem quasuis
Moras viarum, ne recussus à scrupis
Pes saucietur, corruatue. Abunde istac
De nomine. At quæ causa compulit, mole
Cur hac theatrica omnium institi primus,
Habete perbreui: Nihil latet vestros
Animos (vt occupasse præloqui suprà

Me inaudÿstis) nos Dei ministros in
Mortalium curam ac fidele commissos
Famulitium: &, inanes vt inferi vestrûm
In omnium pestem deterrimam incumbunt
Certatim; ita, è contrario ad salutem nos
Vestrasque vitas excubare pernoctes.
Proinde postquam Cœlitum Patri visum est
Hiltrudianis Lætiæ domus claustris
Donare habendum in præstitem Archimandritam
Virtute clarum, literisque percultum
Ac dirigendis congruum gubernaclis
Mansueti ad instar Mosis Vvinghium, flauæ
Bilis carentem spiculo; à proba cuius
Industria vigilantiaque, res omnis
Herilis, argentariæque opes, fidæ
Fidei suæ concreditæ, ex heri voto
Tam singulari parsimonia, tamque
Sagace mentis prouidentia hac vsque
Tenus administratæ fuere, dêincepsque
Summo fauente Numine, administrandas
Haud secius, spero admodumque confido,
Vt derepentè reueniens herus, magno
Gratoque quæstu & fœnore locupletatas
Eas repostas lætus in manus cernat.
Domesticorum cum suorum inoffensa
Consensione, & continente, suscepti
Ad exequendum munus officI, curâ.
Omnesque functos lucis huius vsurâ
Comperset in domicilÿs beatorum

Digno

Digno laborum præmio. Has ego ob causas
Pretium operæ duxi meæ à Deo curæ
Concreditum vatem incitare, Comœdos
Vt in theatrum induceret suos, quorum
Ab actione Vvinghius Præsul cœtu
Cum Lætiano, prouidentiam ob gnauam
Suamque curam perfidelem, ad opimas
Magis, magisque feruidi ruant palmas.

Argumentum Dramatis.

Hoc ergò per proscenium videre est fas
Patremfamilias peregrè abiturientem, omnem
Familiam & argentarias opes sanctæ
Fidei Megisti industriæque credentem.
Sed ille tantæ dignitatis elatus
Gradu, rem herilem gastrimargia, & potu
Confringit: ipsum prodigentiæ tantæ
Symbulus, exemplar fidelis & gnaui
Serui, increpans identidem monet vitam vt
Ad parsimoniam reflectat: is primùm
Paret: sed ad suos reuertitur mores
Pòst paullò adactus à sodalibus: stratas
Interque mensas & cados, repentino
Herus reuertitur gradu, otioque torpentem
Et prodigentem rem suam modis mulctat
Crudelibus: Symbulum honoribus raris
Beat. Sit istæc summa: conticentes vos
Linguas & aures ludionibus, sultis,
Præbete, vestro vt cum fauore res cedat.

ACTVS



ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

Paterfamilias peregrè abiturus, totam familiam suam Megisto seruorum suorum principi administrandam tradit, eique simul & ceteris administris, fidelitatem, vigilantiam, & pacem enixè commendat non indicato suæ reuersionis tempore.

PATERFAMILAS, PVER HONORARIVS, MEGISTVS, SYMBVLVS, PISTOR, IANITOR, COQVVS.

Megisto herum interpellāti pro quibusdam sibi commendatis curis, iam oblitis, respondet

PATERFAMILIAS.

Hem! tam repentè lapsa mentibus cadunt
Quæ iam diu fecisse vos oportuit!
Lethæa planè, mortis & simillima
Obliuio peruasit humanum genus,
Vt euidenter conspicor: nec est modus
Quò mitigari nonnihil, vel erui
Possit malum, nisi frequente refrices,

Reno-

Renouesque monimento memoriam. Corrigi
Ergò medente quod mea nequit manu,
Tranquilliore mente compostus feram.
Adeste pronis auribus, dum singula
Mandata per compendium redintegro:
Eccum peregrè iam profecturus, viæ
Me accingo: vos, absente me, non segniter,
Sed examussim nutui morem meo
Geretis, vt seruos decet: vbi reuertero,
Merente gnauos munerabor præmio,
Indiligentes, otiosos, torpidos
Crudelibus mulctabo crudelis modis.
Tu verò enim Megiste, cuius ego probæ
Fiduciæ fideique totam credidi
Meam familiam, prouidenter, grauiter
Illam administra seruoli exemplar boni:
Esto fidelis custos: esto peruigil
Rei meæ tutor: caue sis hanc malè
Malus malis in artibus ne decoquas
Perdasque: si secus; æuiternis efferus
Te differam angamque cruciabilitatibus
Vbi rediero. MEGIST. *Fidæ precium operæ dabo*
Vt perstem herilis exequutor imperI,
Rei domesticæ vt ministrum condecet.
PATERF. *Probè atque prouidè: tibi quod seueris*
Metes: meam si sobriè & frugaliter
Domum regentem conspicabor te redux;
Eampse mecum habebis vsurariam
Laudabilis fidelitatis præmium.

Verbo-

Verborum abundè: longiores non sinit
Tempus moras, viam capessendam monet.
Symbule; ne suppar Megistus ardua
Sub mole rerum concidat; vicariam
Opem laboranti feres, monebis, excies,
Vrgebis: expers sicubi sit consilI,
Quâ tu valebis instrues prudentiâ.
SYMB. *Vt imperata diligenter exequar,*
Operam dabo. PATERF. *Cauete ne quidquam secus:*
Videte porrò ne qua vos sycophantia
Peruortat, osque subdolo ludat dolo
Parasitus vllus: neue somnolentiâ
Tenebricosâ sopiantur palpebræ.
Vobis duobus quod volo cautum; omnibus
Volo: videte cæteri: peruincite
Quicquid molestum est: præcauete, incumbite
Non oscitanter, negligenter, languidè
Ad has meas præceptiones. Exeo:
Sed, heus! probè admones: consistite
Isticce pauxillisper, atque hæc paucula
Habete: prudens conticesco de meæ
Profectionis termino, de tempore
Reuersionis: causaque est silentij:
Vt inquieti sitis à laboribus,
Nec otiosi: fortè cras reuidebitis
Me: fortè manè: fortè sub medium diem:
Forsan sub hesperum, vel ad crepusculum:
Fors conticinio: fortè nocti: forsitan
Silente concubio, vel in gallicinio.

Vtcunque verò, furis instar huc pedem
Vobis inexpectatus afferam: graui
Proinde præcauete ab otio & inertia.
MEGIST. *Ad nutum herilem creditã accurabimus*
Penum, domumque. PATERF. *Vsque deamabo: interim*
Vigilate, prouidete cominus, eminus,
Infra, supraque, prodius, forinsecus.

OMNES FAMVLI.

Pro viribus quod præcipis curabitur.
PVER HONOR. *Valete cari contubernales, dies*
Post pauculos mihi reuisendi, via
Si fauerint: Pistor vale, vale Coque.
Sed, heus! vide quàm obliuiosus sim mei,
Fidissime ô custos foris; tui propè
Discesseram immemor: bene vale Ianitor.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

MEgistus herilis præceptionis memor, ad fidelitatem & plenum cautionis obsequium se comparat.

MEGISTVS solus.


Amœnitate amœnâ amœnus hic dies
Animum meum penitissimè perfuderit,
Si gloriam, pompas, opes, ludum iocum,

Pota-

Potationes, gaſtrimargiam, penum,
Feſtiuitates feriales, & pares
Opimitates gaudij pleniſsimas
Inſpexero. Sed non honorat hîc honos:
Onerat magis, curiſque pectus obruit.
Quo namque diuitiæ ampliores affluunt
Vberiùs, illuc vberiùs etiam affluit
Statim ac repentè grex amicorum petax
Nugipolyloquides; vaniloquidorus, nepos
Tricongius, conuiuij extenebronides:
Quorum omnium artes caueo. Quiſquis cauet
Malos dolos, is vix cauet, cùm etiam cauet.
Immò ratus cauiſſe maximè, affabrè
Dolo dolato, ſæpe cautor captus eſt.
Sed ecce amici huc nobiles tendunt duo:
Iis obuiare humanitatis eſt; neque
Enim queo ſine dedecore diuertere.

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

OBuiante Megiſto duobus amicis ſuis nobilibus Philoſympoſio & Philotimo, Symbulus fidelis prudenſque ſeruus anxietatis & formidinis plenus, ne heri ſui mandatum infringat, cauet contentiſsimè.

Persona vna secum loquitur, SYMBVLVS scilicet, dum alij tres inter se consultant & fabulantur.

SYMBVLVS.

Est hic herus? tam mox reuerteret?
Non est herus, quem suspicabar affore.
Ad quemlibet sonum strepentem cominus,
Formamue conspectam eminus, videor meum
Herum iam inaudire, & videre: ita in meis
Illius animus insidet præcordijs.
Namque ipse nuper rusticatum hinc exiens,
Identidem nos excitauit perpetem
Ad vigiliam: neque indicauit terminum
Reuersionis: quippe fors peruespere,
Fors luce, media aut nocte, vel crepusculo
Surgentis aut cubantis hesperi, die aut
Medio reuersurum se ait. Quare haud parum
Angor, metuoque maxime, ne torpido
Reuersus, otio vacantem, & segnius
Me feriales feriantem ferias
Offendat: illa est causa cur domesticis
Tot inuolutus distrahar curis die,
Vt nocte tota neutram in aurem dormiam.
Sed tam graues ego vigilias hoc fero
Lubentius, quo præmiabor largius
Hero reuerso, quem reuerti iam velim,
Rei suæ dum peruigil seruus vaco.

SCENA

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

MEgiſtus humanitatis potiùs quàm herilium præceptionum memor, nobiles duos amicos ſuos ad compotationem prandiumque inuitat.

MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS.

MEGISTVS.

FEſtiuior mihi eſt dies: ad prandium
Ego vos volo. PHILOT. *Mihi domi eſt negotium*
Sanè perurgens. PHILOSYM. *Nil quod excuſem, domi eſt.*
MEGIST. *Proïnde tu noſtrâ duorum gratiâ*
Negotÿ quicquid perurget extrahe
In craſtinum. PHILOT. *Facio: ſed inuitus tamen.*
MEGIST. *Gratiſſimi aduenitis hoſpites: mihi*
At parca menſa eſt. PHILOSYM. *Ne: adlubet parciſſima.*
MEGIST. *Nam iſtocce victu aſsiduè ego oblector domi.*
Nec ſcrupeam daps noſtra commeat viam,
Subaſpera eſt. PHILOSYM. *Megiſte carduos comes?*

MEGIST.

MEGIST. *Terrestris est.* PHILOSYM. *Heus, etiam aper terrestris est.*

MEGIST. *Multis oleribus.* PHILOT. *Mensa non incongrua*

Est, quæ nuces apponit aut siccas ficus,
Purique panis commolendum frustulum
Spumante vini cantharo quod temperes.
Meliùs modestè facere sumptum, quam ampliter.

MEGIST. *Inferte in atrium pedes, dum pauculis*
Hìc obuiantes administros alloquor.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

Megistus de fideli ministerio iuxta heri præscriptum singulos domus ministros monet.

MEGISTVS, IANITOR, PROMVS CONDVS, COQVVS, PISTOR.

MEGISTVS.

In audiÿstis, administri, enixior
Impendio, ad curā peni, ad vigilantiam,
Ad parsimoniam cibi & pecuniæ,
Et inquietos ad labores, familias
Nostræ Pater, quàm multa verba fecerit?
Memori tenetis cuncta mente? PROMVS. *Quippeni?*

IANIT. *Ego ſum memor, probéque diligens, ſtatim*
Vt illa dem effecta omnia, vt compareant
Quæcumque herus mihi imperauit exiens.
PROM. *Nil dum meri hauſi: temulenti nec ſequax*
Cum vino heriles iuſsiones ebibo.

COQVVS.

Ego cuncta calleo plus quàm aprugnum calleat
Callum. PIST. *Suum ſic pollinem cribrum meum*
Si pollinarium teneret pertinax,
Vt imperata, quæ dedit abiens herus,
Animus meus, tenax tenaciter tenet;
Nunquam recrementis carentem, at horridum
Panem tibi, gregariumque pinſerem.
MEGIST. *Nauanda nobis opera feruens, ne mora*
Moleſtiæque, imperium herile, quid ferat:
Qui namque hero ſeruire poſtulat ſuo ex
Sententia, in ſe eum decet capeſſere
Sera, at in herum matura: ſin dormitet; ita
Dormitet, vt ſe cogitet ſeruum, vtique heri
Quod frons velit, oculi ſciant; quodque iubeat,
Velociùs citis quadrigis perſequi
Id acceleret. Hoc quiſquis accurauerit,
Facilè abſtinebit cenſione bubulâ,
Teterrimique carceris repagulo.
IANIT. *De me, velim nihil ſies hîc anxius:*
Interdiu, ne tantulùm quidem foribus pedem
Extulero: totos, claudus vt ſutor, dies
Manebo peruigil, refixuſque oſtio.
PROM. *E promptuaria velut cella volo*

Depro-

Depromar ad flagrum, meri si quid minùs
Frugi, nec vtiles in vsus prompsero:
Adeò futurus Promus & Condus. COQVVS. *Mea*
Sic artifex ego condiens obsonia
Coquitabo, res vt integra coquinariâ
Hero reuertenti, cluat. Nisi pepercero,
Festo die si quid cibi prodegero
Vnde sit opus profesto egere; in aheneos
Ebullientes frustulatim cacabos
Volo inijci. MEGIST. *Molestus es: tinnis nimis:*
Nam lingulacæ & gloriosi, vt plurimùm
Inutiles, insulsi, inepti, prodigi
Et vulturinis vngulis coquunt coqui.
Latij Coquum quiqui vocant, vocant male:
Ego non Coquum; sed vulturem vocauerim.
COQV. *At sic statim non senties, cùm vt accubes*
Hinc gratiâ prandI dapalis iueris.
Ita namque conditum dabo ipsum hodie tibi,
Ita dapsili suauitate farciam,
Parcè tamen citraque sumptus prodigos,
Digitos vt vnà penè prærodas tuos.
MEGIST. *Facetus es nimis: i proœmium para,*
Priorque gusta, & ipse furtificas manus
Prærode, linguâ gestiente intemperans
Catillo. Cæteri suum quod congruit
Cuique munus, persequuntor seduli.

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

Voluptuarius quidam se ad Megistum, quem herili familiæ præpositum audijt, dapsilis mensæ, & lusus causâ, confert.

PISTOCLERVS solus.

Valete tristes ægrimoniæ: vale
Mordax, edaxque pectoris cura: otium
Quiesque lenta, me, & voluptas euocant.
Sequor vocantes: quid necem rectam indolem
Et mollioris æui tempus? ne effluat,
Vtar, fruarque dum licet: nec enim frui
Mihi licebit cùm senecta lentipes
Adrepserit. Quin me coronem iam rosis
Vernantibus, priùs quàm adultæ marceant.
Nolo esse blandis texta prata floribus,
Quin illa sensu pleniore perlegam.
Ibo ad Megistum quem mihi tenax amor
Confœderauit: nunc herilem, intelligo,
Suâ administrat ac regit penum manu.
Iubebo mensas dapibus & vino instruat,
Iactisque tempus fallat vnà tesseris,
Ac me facetis recreet leporibus.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

NVncius ab hero ad Megiſtum cæteroſque adminiſtros pro refricanda eis fidelis ſeruitij memoria, venit Patrisfamilias Ephœbus Honorarius.

EPHOEB. HONOR.

HErus peregrè nuper, vt noſtis, domo
Profectus omni familiâ concreditâ
Suo Megiſto, certa non præfixerat
Reuerſioni tempora, vt laboribus
Perdiligenter, atque contentiſsimè
Seruos vacantes inueniret. Ipſe me
Proinde ad illos concito mittit gradu,
Vt quiſque commoneatur offici, otio &
Si indulgeant, ſeſe ad labores comparent.

SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

MEgiſtus de repudiando herili Coquo augendaque decem Ephœborum, Honorariorum numero familiâ, cum ſuo Conuiua voluptuario conſilium init.

PISTOCLERVS, MEGISTVS, IANITOR.

PISTOCLERVS.



Ecquid, Megiste, nauseam tantam tibi
Fastidiumq; procreat nequam hic Coquus?

MEGISTVS.

Quid agas? ferēdum est: huius ista est temporis
Miseria: heros dominantur in suos Coqui:
Tanta est eorum raritas, & improba
Ac disciplinæ contumax proteruia.
PIST. *Quin prima fuste murmurilla comprimis?*
Quin contumacem sæuus exturbas domo?
MEGIST. *Si faxo, peior fors priore obsonium*
Meum instruet Coquus. PIST. *Quid? ergò perferes*
Miserrimi Coquuli superbam insaniam?
Quò mitior feres, eo etiam immitior
Proteruiorque, cùm vocatos hospites
Tractare mensâ dapsili voles, erit.
Obgannientem, si mihi credes, tuis
Turbabis ædibus. MEGIST. *Mihi alter ad manum*
Non est Coquus. PIST. *Non illibenter, quem domi*
Habeo, magistrum condiendi obsonij
Tibi conferam, dum sortieris alterum.

MEGISTVS.

Ergò meum, ne mutiat posthac, meâ
Hodie exigam domo. PISTOCL. *Domi qui liberum*

Vult

Vult se esse, nullam seruitutem sufferat.
MEGIST. *Licentiosis stat deinde moribus,*
Opum facultas dum sinit, stadium breuis
Aeui, mihi quod Diua præscripsit manus,
Traducere ad firmam optimamque corporis
Habitudinem, ad animi putam hilaritudinem,
Nouoque dignam honestitudinem statu.
Proinde posthac qui mihi ad manum, ad pedes,
A poculis Ephœbi honorarij, vt decet,
Sint præstò deni, peruolo. PISTOCL. *Sententiæ*
Tuæ accino, totaque mente congruo.
Quo te ampliore dignitatis in loco
Fortuna felix collocauit; hoc suo
De iure postulat tuam iam enixior
Pro dignitate vernulis domum augeas.
MEGIST. *Hùc ergò prompto, Ianitor, gressu, decem*
Vernaculos mihi futuros assεclas
Suis in hunc finem à parentibus datos
Accerse. Sunt venustulique, & comptuli,
Adeoque compositi quasi ad nutus meos,
Natura vt ipsa ferre singulariùs
Vnquam nihil potuerit. PIST. *Illos viderim*
Perquam libenter, vt tuæ decus domus.



SCENA NONA.

PERIOCHA.

MEgiſtus aſſumptis in familiam ſuam Ephoebis honorarijs decem, propter ſuæ nouæ dignitatis natalem diem, dat licentiam in ſyluas ad venationem excurrendi, ſumpto priùs aliquanto cibo & potu.

MEGISTVS, PISTOCLERVS, IANITOR, VERNVLARVM HONORARIORVM CHORVS.

IANITOR.



E*N quos, Megiſte, concitatus acciꝗ*
Decem paratos nutui vernas tuo.

MEGISTVS.

Quæ, Piſtoclere, lima ſubtilis tui
Eſt iudicI, quando hanc iuuentutem vides?

PISTOCLERVS.

Spes magna in illis, ſummaque ingenI indoles,
Ni deleatur temporis vitio, emicat.

MEGIST. *Prõpti & parati eſtiſne, Ephœbi, ſuauia*
Pediſſequorum ſuſtinere munera?


EPHOEBI QVINQVE. *Prompti.* ALII 5. *Parati.* MEGIST. *Vos ego accepto libens:*
Quia verò adeptæ dignitatis hic prior

Hodier-

Hodiernus est dies, & inuitat nemus,
Atque aura vobis recreandis concinens;
Venatione lætitudinem nouam,
Vt hauriatis, do licentiam. Impares
Ne verò vos venaticis laboribus
Lassante fors viâ subsidere
Contingat, hortor vt saburretis probè
Tenera faceto vestra victu corpora.

EPHOEB. I.

Non inficetum nos præmium hoc nouæ &
Insuitatæ seruitutis gratius,
Phœbi tepentis luce matinâ, auribus
Capimus, & oculis. MEGIST. *Ite: nil obsit moræ.*
I. EPHOEB. *Venationis arma prompta comparo;*
Promptos labori comparate vos pedes.
2. EPHOEB. *Sunt expediti leporis ad cursum pedes.*



SCENA DECIMA.

PERIOCHA.

Ephœbi honorarij hausto vno vini scypho & suillæ sumpto frusto, in syluas eunt.

EPHOEBI decem.

3. EPHOEB.

Nil differendum dum licentiosius
Cælum, & facultas congruens nos euocat.

4. EPHOEB.

Quàm grata nostras hæc ad aures nuncia
Inopinata, de ferarum indagine,
Grata acciderunt. 4. EPHOEB. *Gratius nihil, nihil*
Quidem assonare potuit auribus meis.

5. EPHOEB.

Canes, equi, feræ, plagæ atque retia
Vt nobiles capiant Ephœbos prædecet,
Quàm tessera, lusoriæque chartulæ.

6. EPHOEB.

Accommodata veritati concinis:
Namque hæ tenace dum reuoluuntur manu,
Exhauriunt loculos pecuniarios.

7. EPHOEB.

Noctes profundas in diem multum trahunt,
Aequantque luci. 8. EPHOEB. *Tempus otio extrahunt.*

9. EPHOEB.

Necessitudines amicas dissuunt.

10. EPHOEB.

Deum exacerbant peierando sacrilegè.

1. EPHOEB.

Ementiendò audaciter cælum impiant.

2. EPHOEB.

Ludentium animas contrucidant. 3. EPHOEB. *Affatim*
Confabulatòs hactenus vacat: viam
Nil differamus ingredi, & feras sequi.

4. EPH.

4. EPHOEB.

Probè mones: verùm priùs quàm indagini
Venatibusq; maceranda per nigri
Sudoris amnes applicemus corpora:
Sapidus petaso farciat ventres decet,
Et purpurata vitium vindemia
Fauces, anhelâ siccitate ne sitis
Inter ferarum lustra sola torreat,
Ternis culullis ter retersis, eluat.

5. EPHOEB.

Tuis, priùs de farciendo ventre, congruo
Verbis: Megistus namque princeps familias
Opinionis huius autor est: enim
Verò, petaso salsilaginis quia
Vt plurimùm est intemperatæ, & excitat
Sitim magis quàm sedat; ouum sorbile
Vnum alterumue quod recens sit, aut caro
Durata fumo, armusue ouillus tostus, aut
Assus, suillæ non modò, at cüilibet
Præstat ferinæ. Iam culullos vineos
Quòd ter retersos expetis; non approbo,
Si ter retersos expetis ternos. 4. EPHOEB. *Peto:*
Verùm supra tres non peto: namque id vetat
Discordiarum frigido albescens metu
Connexa dexteræ sororum Gratia.

6. EPHOEB.

Nostra est duorum sympatheia concinens
Consentiensque: namque vini tertius

Infir-

Infirmiores roborat neruos scyphus
Grauesque mæstitudine animos recreat.

7. EPHOEB.

Iam mutui vos inter hîc contenditis
Opinionum sensibus, me dapsilis
Istæc suilla haud mollibus trahit modis,
Vt excitatam sedem orexim: irruant
Illi in ferinam calceatis dentibus
Armumue ouillum; tres culullos temeti
Bis terue fusos hauriant; nos nostra quot
Natura poscit hauriamus fistulas.


1. EPHOEB.

Heus te suillâ penè conficis, feras
Cursu nequibis assequi. 2. EPHOEB. *Nec assequi*
Intendo cursu: non enim queo: sed hi
Venatici admodum podargi, quos manu
Lorisque tento, consequutas præpete
Cursu apprehendent ac domesticam penum
Prædis opimis aggerabunt. 3. EPHOEB. *Te tribus*
Nos eliquati munerabimus botri
Pateris. 2. EPHOEB. *Tribus paterisne? malim, cantharis.*

1. EPHOEB.

Verbi, esculenti, poculenti iam satis:
Venatione terminatâ, pluribus.
Viam citemus, sol citatus admonet.

SCENA



SCENA VNDECIMA.

PERIOCHA.



Romus Condus sumpta à quodam sene mutua, pro Megisto, pecunia, mercatusq; ab Oenopola decem vinarias cupas, Pileonem, Vascularium, Limbolarium, Sericarium, & Lanarium, domum pro lustrandis emendisque mercibus, secum ducit.

PROMVS CONDVS, MEGISTVS, OENOPOLA, PILEO, VASCVLARIVS, LIMBOLARIVS, SERICARIVS, LANARIVS.

OENOPOLA.

Hispaniensis, quod vetustatem ferat
Meracioris & falerni mox tuum
Curabo denas inuehi cupas penu.

PROM. *Traha est parata?* OENOP. *Nil morabitur.* PROM. *Caue*
Atrum, exolescens, emedullatum, asperum,
Elutriatum, pendulum vinum inuehas.

OENOPOLA.

Hornum meracum, inquam, heluolum, firmum, fragrans
Et molle mittam, quod bibas amystide.

PROM.

PROM. *Tuos labores ære præsentario*
Remunerabor, si datam haud falles fidem.
Tu, pro trecentis aureis quos mutuos
A te datos domum reporto, syngraphum
Istoc mea exscriptum manu, in fidem, tene.
Vos concitatis me sequuti passibus
Vestrum Megisto mercimonium palàm
Vt explicatum mancipetis, ocyùs
Venite, ne quod sit moræ dispendium.

SERICARIVS.

Subsiste paullùm: cunctor hic Lanarium
Et Linteonem, & Vascularium. PROM. *Pari*
Ergò ad Megistum congredi nobis gradu
Erit integrum. SERICAR. *Pari: adfuturos namque se*
Moris repulsis omnibus, fidem mihi
Suam obligarunt. Nonne Limbolarium,
Et Pileonem deuocauit, qui simul
Ad explicandum mercimonium suum
Venale, properent commeare? MEGIST. *Pileo*
Est euocatus. SERICAR. *At moras nimias trahunt.*
Nos permolestè nauseabundus domi ob
Hanc tarditatem fortè præstolabitur
Megistus, & sui impotens nostram ob moram
Ab se repellet trux inemptis mercibus.

PROMVS.

En Pileoni iunctim adest Lanarius:
Cum Linteone Vascularius pede

Fors consequentur proximo. SERICAR. *Dispendij*
Nil afferemus, si leues præcurrimus?
PROM. *Nil: immò vobis afferetis haud parum*
Compendij. SERICAR. *Vicine, quid tantum domi*
Trabis morarum? LANAR. *Prompta merx voto meo,*
Voto & Megisti non quadrabat. SERICAR. *Quid fuit*
Causæ? LANAR. *Quòd optet ille pannum florido,*
Et pertinace, non remisso, euanido, aiut
Surdo colore. SERICAR. *Tu quid illi mercium*
Quas nundinetur, extulisti ex ædibus?
LYMB. *Segmenta sunt colore giluo, mellino,*
Pullo, niuali, flammeo, bombycino.

PILEO.

Formido ne quod hic morarum nectimus
Stomachum Megisto concitet. VASCVL. *Ne concitet,*
Properare properemus. PROMVS. *Probè, quod addecet,*
Facis: Megistus namque vel domi hospites
Cunctatur, exceptisue amiciter domo
Perhospitales instruit mensas: eâ
Vos fortè causâ, ni applicetis tempore,
Congresione summouebit, ac suo
Sermone dedignabitur. SERICAR. *Ne stent mora*

Dispen-

Dispendio tanto; viæ quod est super
Velis quasi & remis agendum, puluere
Plenum atque festinatione, suadeo.



SCENA DVODECIMA.

PERIOCHA.

TRes parasiti ad Megistum dapsilis mensæ gratiâ contendunt, dum Symbulus de heri reditu suam gestibus apud fores anxietatem monstrat.

GELASIMVS, MICOPHAGVS, ERGASILVS, SYMBVLVS.

GELASIMVS.



Il euenire potuit opportunius
Hac luce, nostrum quæ saburrabit dape
Abdomen. ERGAS. *Vnde hæc lucis*
opportunitas?
GELAS. *Noster Megistus familiaris intimus*
Et admodum vtibilis, heri sui, in manu
Rem habet, familiamque administrat. MICOPH.
Commoda
Eucairia hæc, occasioque, non queit
Obtingere opportunius: siquidem fame
Sitique longâ penè iam enectus quidem,
Præcogitaram luci huic oculos manu

Effode-

Effodere: nulla enim mihi comessatio
Sese offerebat quæritanti. GELAS. *Desine*
Porrò, molestè, quo gulæ facias satis
Abdominique, quæritare: Saturio
Hodie redibis, qui Esurio prodis, domum.
ERGAS. *Optatiorem nuncium te neminem*
A plurimis nunc euolutis mensibus
Inaudij, vidiue: lucrificabilis
Es: nam valebimus hodie pancraticè,
Athleticè, atque basilicè. MICOPH. *Vah! pruriunt*
Mihi scapulæ. Sermone tempus extrahi
Insignis est inertia: in[illegible] dare
Nos ocyus, conducibile erit. GELAS. *Dum mora*
Famesque bilem conciunt naso, est malum:
Ne differamus; exigenda tarditas.
ERGAS. *Eamus.* MICOPH. *Ast, heus, ecce de sententia*
Animi, adstat ad fores Megistus. GELAS. *Falleris:*
Symbulus est: remoremur hìc pauxillulùm:
Nostris enim ille moribus non concinit.
Videamus interim gradu fixo, & oculo,
Quid rerum aget, quorsumque diuortet. MICOPH. *Vide*
Vt anxius nutat! ERGAS. *Vide vt pronus caput*
Et os recline figit in terram stupens!
GELAS. *Vt suspicit cælum entheatus!* MICOPH. *Vt acie*

Contemplat intentâ! ERGAS. *Gerit negotia,*
Multasque curas. GELAS. *Ecce, quî loca omnia*
Identidem circumspicit! MICOPH. *Quas secum init*
Ratiunculas! ERGAS. *En icit femur.* MICOPH. *Nonne, obsecro,*
Hariolus est, qui ipsus ferox se verberat?
GELAS. *He! quàm repentè, quámque præcipitè gradu*
Intrat domum! ERGAS. *Fortasse thesaurum abdidit*
Intus, qui eum angit plurimis miserum modis.
GELAS. *Polypos timet, qui vt tetigerint quid, hoc tenent.*
MICOPH. *Nunc expedire conuenit negotium*
Nostrum: procax at ostio Custos præest:
Ni rem ordinemus prosperè, ac doctis dolis;
Nunquam recluserit fores. GELASIM. *Doctis eum*
Ludam dolis: nil subtime. Quis has fores
Obseruat? Intus nullus est: patent fores:
Intremus, & num sit Megistus in atrio
Videamus. ERGAS. *I præ: consequemur prænium.*



SCENA DECIMA-TERTIA.

PERIOCHA.

Ymbulus de Patrisfamilias reditu anxius, ex sene quodam vicino auaro, qui redit à Megisto, ad quem datam mutuam pecuniam suam repetiturus iuerat, sciscitatur num quid de hero suo in viâ audierit; senex suspicatus Symbulũ ad se venire pro auxilio pecuniario, immò metuens thesauro suo, quem in locum secretiorẽ abdiderat, ne quis eum clepserit, tenuissimo audito sonitu, ipsum reuisit, sitne ita vt condidit.

SYMBVLVS, CHRYSOPHYLAX.

SYMBVLVS.

Ecdum reuertit ad suas ædes herus?
Proïnde rursum quærito ex viciniâ,
Vllàne sit visus viâ: sed eccum herum
Viciniæ.. CHRYSOP. *Præsagiebat satis animus,*
Frustra ire me, cùm nuper exirem domo,
Ad discoli illius Megisti familiam,
Aurum meum, quod mutuum concesseram,
Vt repeterem: sui omnem heri rem decoquit,
Meamque: nullis æquitatis terminis
Se continet: nunc se obligatum pernegat:
Et dum suâ nuper notatum syngraphum
Dextrâ videt; sese esse mentitur foris,

Aut occupatum serio. Ad pecuniam
Vbi reposcendam exeo, nunquam domi est.
Et vero contrà, si quando sum forinsecus,
Animus meus semper domi est: tantùm obligor
Auro quod intus condidi. Sed quid meis
Symbulus adstans ædibus, cum lubricis
Oculis suis circumspicit? SYMB. *Loca omnia*
Perlustro frustra: non reuertet, autumo,
Herus hodie, nisi fortè substiterit viâ.
Scitabor ex hoc, an reuisus vspiam
Comparuit reuersioni proximus.
Te prosperet, lætumque sospitet Deus,
Mi Chrysophilax. CHRYSO. *Deus te amet, Symbule mi:*
Sanè hic homo aurum habere me intus conditum
Audiuerit: ideò salutat blandiùs.
SYMB. *Via vt tibi successit?* CHRYS. *A pecunia*
Haud sat bene. SYMB. *Animus si tibi æquus est, satis*
Habes, bene vt vitam colas. CHRYS. *Seruus quidem*
Meus, meo de auro indicium huic fecerit,
Palàm est, cui linguam iam ego euellam domi,
Et effodiam oculos. SYMB. *Quid aduersus mihi*
Tecum loquere? CHRYS. *Queror vlcerata hæc tempora:*
Ieram ad Megistum, aurum vt reposcerem meum,
Sed enim operam lusi. SYMB. *Tace: bonum habe animum:*

A me

A me adiuuabere: impera si quid opus est.

CHRYS. *Dum pollicetur hic, petit: inhiat meum*

Aurum auidus, vt id deuoret. SYMB. *Da mihi*

operam.

Parumper, est quod te volo de re mea

Tuaque, Chrysophilax. CHRYS. *Eheu misero mihi!*

Aurum intus aliquis harpagauerit meum:

Nunc hic eam ob rem vult, scio, mihi colloqui

Ad pactionem. SYMB. *De heri reuersione postulo*

Num quid scias: quò abis? CHRYS. *Reuertar illico:*

Est namq; quòd visam domum. SYMB. *Vel in via*

Herum meum ipse offenderit, eique instruet

Obsonium: vel suspicatur mutuam

Efflagitare velle me pecuniam.

Adeò alter illo nemo de vicinia est

Auarior. CHRYS. *Res salua: si quid non perit,*

Saluum est. Nimis timui malè, priùs quàm ego

Intrò redij: exanimatus à metu fui.

Symbule, si quid me velis, en reuenio.

SYMB. *Gratiam habeo: quæso, quod ex te sciscitor*

Ne pigeat illud proloqui. CHRYS. *Nihil piget,*

Dum sciscitêris quod mihi libeat loqui.

SYMB. *Isti foras, vt inquis.* CHRYS. *Iui.*

SYMB. *De patre*

Nostræ familias audijstin vspiam?

CHRYS. *Nusquam.* SYMB. *Nec illum es conspi-*

catus in via?

CHRYS. *Non.* SYMB. *Nec quidem hilum de illius*

reditu? CHRYS. *Haud quidem*

Hilum. Aurum huic olet: etenim quid sic vago
Præter modum circumspicit oculo? Estne quod
Velis alind? hau! quid quasi ferrum modò
Increpuit? SYMB. *Ho! forsan reuertitur meus*
Herus: malè iste credulum elusit sonus?
Nullæ reuertentis notæ. Sed vbi hic homo?
Abijt silens, tacitusque: fastidit mei.
CHRYS. *Ego te nisi elinguem dabo ab radicibus,*
Volo esse me hominum pauperum pauperrimum.
SYMB. *Stomachumne, Chrysophylax, tibi facio, de heri*
Mei reuersione queritans? CHRYS. *Nihil:*
Nec vlla causa est: sed negotium domi,
Foris quietum non sinit. SYMB. *Sedatior*
Vt sis, vale: cunctabor interim ad vias
Herum. CHRYS. *Ille tandem abijt: Deus bone, obsecro,*
Aurum meum vt valet? metu cor palpitat,
Ne fur diurnus ex eo quid clepserit.
Nunc iam reuiso sitne ita vt condidi.

SCENA DECIMA-QVARTA.

PERIOCHA.

MEgistus Coquum Patrisfamilias ex domo exturbat.

MEGIST.

MEGISTVS, COQVVS, IANITOR.

MEGISTVS.

Exi è culinâ: apage, foras, mastigia:
Egredere pernicies herilis: stas adhuc?

COQVVS.

Quid me tibi sic infrementi tactio est?
MEGIST. Etiam rogas; nidor culinæ? vt sis miser.
Tun exhibebis mihi, flagellorum seges,
Argutias & murmurilla! COQV. Coctum ego
Non vapulatum fuste, conductus fui:
Neque hanc mei cædundi herus peregrè abiens
Fecit potestatem tibi. MEGISTVS. Mussas adhuc?
Næ: non tibi est longè os ab infortunio:
Ita gestis hocce dentifrangibulum meis
In manibus. IANIT. Huius verba quantùm consequor,
Miser Coquus cauere debet eminus.
Alioqui, ei ex malis Megistus egeret
Nucifrangibula. MEGIST. Apagesis: caue ne postea
Meos in oculos vspiam incurras, nisi
Tuum minutim conteri velis caput.
Hem! non ego imperitem domi? vilissimâ
Algâ æstimabor vilior vilissimo
A Coquulo? honestis prohibear mensis meos
Accipere amicos ac familiares? mihi

Si qui dëinde obgannient, pellam foras.
Meopte mori incongruus, obolet allium.

SCENA DECIMA-QVINTA.

PERIOCHA.

COquus de se expulso & Megisti prodigentiâ nuncius ad herum properat.

COQVVS solus.

QVid Adriâ iracundior, quid vanior
Typho, meam conuellis indolem?
Non integrum est vnguenta olere exotica
Quæ tute oles, nec tam facetis victibus
Viuere. Habeas tu turtures, pullos, feras;
Sine alliato sortem obire me meam.
Tu prosperatus, ego miser: patiunda sunt.
Iniuriam hanc fero, sed adueniat herus;
Credo fore, vt te patibulatum per vias
Stimulis foret: namque meruisti, & nunc meres.
Tantisper vt lubet, licetque, prodige
Rem, perde, pergræcare, familiam excede,
Pasce parasitos, tam diu obsona vt voles
Pollucibiliter: non erit longùm volup.
Hoccine tibi mandauit, hinc cùm abijt, herus?
Hoccine modo auctam rem ipsus offendet suam?
Hoccine boni officium esse serui existimas,
Vt heri sui perdat penum, rem, & familiam?

Et clanculum hæc conclusa gestem! vt celem herum
Tua flagitia, tuasque prodigentias!
Nunquam hæc quidem celauero: certum est, priùs
Quàm longiùs mores tui deperditi
Serpant, herum admonebo: culpam omnem, & scelus
A me, simul ne collutuler, amouero.
Adeóque protinus in pedes me confero.



ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

MErcium baiulator Propola explicaturus suas merces Megisto, domus ostium pulsat.

PROPOLA solus.

MErx rara, merx sincera, merx bellissima.
Emiror hoc hominum genus: mortalium
Nemo est meam mercem emptitans. Vix suffero
Anhelitum: perrepto nàmque compita
Omnia, palæstras, gymnasia, myropolia,
Emporia, tonstrinas, macellum, curiam,
Aromatarias tabernas, cellulas,
Popinulas, & Pandocheis, & publicum

Forum

Forum; nec vllum offendo, quin caſsâ nuce,
Adeoque titiuilitio rariſsimum hoc
Mercale mercimonium licetur, aut
Emptitet: ijs peculium deſit, reor.
Quid faxo? num quæſtu ſine & lucro, meas
Reuertam in ædes? non: priùs pulſauero has
Fores: profectus eſt herus peregrè: domus,
Auditione vt audij, eſt concredita
Cùm multigenere opulentiâ, non ſordido
Illiberalique Oeconomo. Ibi retia
Pecuniarum, & illices merces palàm
Dabo explicatas. Aduolare huc aſsolent
Salutigeruli omnes, chryſophili, argyrophili,
Sympoſiphili, capſarij, ſtabularij,
Aurarij, gemmarij, annularij,
Lanarij, linarij, plumarij,
Strophiarij, ſolearij, induſiarij,
Alijque ſexcenti: mihi cum cæteris
Domus apertæ non negabitur foris.
Hola, hau! quis huius ianuæ curam gerit?

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

Ropola cum ſuis mercibus à Ianitore Megiſti, contemptim repellitur.

PROPOLA, & IANITOR.

IANITOR.

Quis impetu tanto meas pulsat fores?
PROP. *Non est herus tuus domi?* IANIT. *Non.* PROP. *Illius*
Vicarius non intus est? IANIT. *Est.* PROPOL. *Euoca.*
IANIT. *Quorsum euocem?* PROP. *Vt sciam meisne mercibus*
Ei sit vsus. IANIT. *Non.* PROP. *Eum saltem roga.*
IANIT. *Est præpeditus.* PROP. *Indica.* IANIT. *Quid indicem?*
PROP. *Negotiatorem foris cum mercibus*
Suam oppidò in rem & familiam quadrantibus.
IANIT. *Nihil tuarum mercium nobis opus.*
PROP. *Vade, inquam, & hæc hero tuo denuncia.*
IANIT. *Dixi, inquam, herum domo abiisse: quid vis replicem*
Toties? PROP. *Heri, inquam, conuenire postulo*
Vicarium. IANIT. *Te conuenire haud conuenit:*
Abscede foribus. PROPOL. *Tu me herili, peruicax*
Prohibescis alloquio? IANIT. *Ita: & obdam pessulam:*
Tuoque clausas vultui obtrudam fores.

PROP.

PROP. *Obstipus iste, edentulus, Acheronticus,*
Capularius, trifurcifer senex, suis
Vti canis timidus, latebris abditus
Impunè fugerit! Mihi vix tempero
Quin ostium toto reuello cardine.
IANIT. *Auide pecuniæ accipiter, atque inuide,*
Fallax, procax, nugax, sequax, mendax, edax,
Longam mihi si nauseam pulsans crees,
Si vel foris minusculo digito increpet,
Tegulâ hac tibi caput obteram, vt cum dentibus
Linguam exscrees. PROP. *Tuâ te oportet prodigum*
Fuisse in adolescentiâ. IANIT. *Quidum?* PROP. *Quia*
Tibi in senectatute mendicas malum
Impendiosum: si te apprehendero, senex,
Pugnos edes. IANIT. *Apage, edere haud placet, bene*
Iam namque prandi: istoc proïnde prandium
Tam liberali quod mihi spondes manu,
Stomachis fame latrantibus dato. PROP. *Foras*
Si prodeas, te, lentipes senex, ego
Sic differam, tractimque tangam, vt dormias.
IANIT. *Cauebis: hasce quippe noctes quatuor*
Duxi propè insomnes, ita adfui herilibus
Negotijs pernox. PROP. *Inaniloquum os tuum*
Interpolaro, denuóque finxero,
Si paululùm pedem latebris efferes
Hircose, mucide, putide senex: egredere,

Ego

Ego hocce fuste, ventre dum tenus tuo
Exdorsuere, onerabo. IANIT. *Lassus sum viâ,*
Totum diem domesticas seruans fores,
Lassus senectâ nauseo: nec sum potens,
Quamuis inanis pondere, instar cochleæ
Grandire vti velim gradum: meque æstimas
Posse ire cum onere? PROP. *Pergin argutarier?*
Tibi scelestam hanc eruam linguam. IANIT. *Haud potes:*
Bene & pudicè hæc lingua seruatur. PROP. *Nihil*
Hàc promouebo, ni suo priùs feram
Ferocientem in latibulo, prolicuero
Foras. Reciproco impetam pulsu fores.
Fugax senex, nequam, nebulo, quin iam tuo
Erumpis antro, vt lumbifragium hinc auferas.
IANIT. *Pulsare pergin?* PROP. *Pergo.* IANIT. *Ni te protinus*
Hinc auferas, te contumacem fecero.
PROP. *Me contumacem feceris!* IANIT. *Etiam, & modum*
Omnem supra insolente gestu turgidos
Altè efferentem spiritus. PROP. *Ad hoc, tuî*
Quas ingenI, barde, admouebis machinas?
IANIT. *Inter suas vespillo te feret manus,*
Si pertinax hunc in caput tuum imbricem
Libraro. PROP. *Despicabilis huic venditor*
Sannis. Senex ô luride, caue ne obuies.
IANIT. *Freme, intona, infrende; nihil meâ interest.*

PROP.

PROP. *Quando meis te nequeo pugnis tundere;*
Referundæ ego linguam habeo natam gratiæ:
Hæc me nisi defendet, haud linget salem.

IANIT. *Propera atque abi.* PROP. *Flagri subiculum senicule.*

IANIT. *Ita est.* PROP. *Scelesté.* IANIT. *Vera dicis.* PROP. *Verbero.*

IANIT. *Nil hoc quidem est.* PROP. *Periure.* IANIT. *Certè.* PROP. *Furcifer.*

IANIT. *Dictum optimè.* PROP. *Suspendij & furcæ seges.*

IANIT. *Babæ!* PROP. *Colone carceris.* IANIT. *Miosis est:*
Iniurioso tetrius de pectore
Deprome verbum, quod silentium mihi
Horrore perculso imperet. PROP. *Stygis inferæ*
Monstrose Ianitor. IANIT. *Oho! cantorem probum.*

PROP. *Ego verba petrusum ingero in dolium: abeo.*
Senex veternose, hispide, improbe. IANIT. *Abi modò.*

PROP. *Perenniserue, rancide.* IANIT. *I modò.* PROP. *O senex*
Olide. IANIT. *I modò.* PROP. *Vah!* IANIT. *Abi modò.*

PROP. *Vt non ego te hodie!* IANIT. *Etiamne abis?* PROP. *Neque*
Te frustulatim! IANIT. *Abiturus es?* PROP. *Nec te, vt suam*

Pecu-

Pecudem Lanio, laniem! IANIT. *Ha he! pergin pergere?*

PROP. *Non te secem!* IANIT. *Ho ho! pergin aures tundere?*

PROP. *Scin quàm! vide tu. Credin vt ego fabuler?*

IANIT. *Si nequeo, vt abeas, facere; egomet abiuero.*

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

PVer Honorarius Patrisfamilias, ad seruos ante missus vt eos ad fidele hero obsequium præstandũ incitaret, ad herũ Megisti prodigentiã renarraturus redit.

EPHOEBVS HONORARIVS solus.

ACtum est: periit noster Megistus funditus.
Quod per-mihi-mirum est, ob eius maximè
Rarissimas illustris ingenI & indolis
AcerrimIque iudicI dotes, quibus
Reconditarum disciplinarum sciens
Et multiplex accessit eruditio,
Ac singularis dictionis gratia
Leporque verbi. Si Latinè, Gallicè,

Hispa-

Hispanicè, Græcè, Italicè, Germanicè,
Hibernicè, Britannicè, Brabanticè
Loquitur; illum mel atque lac loqui putes.
Hoc vnicum desideres, quòd plurimis
Cum literis Dei timorem, & integros
Mores simul non imbibit: quod fons quidem est
Ac dissolutæ prodigentiæ caput,
Et seminarium. Sed vltra fas moror.
Vitæ Megisti nuncius redeo ad herum.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

TRes parasiti vino à Megisto suffarcinati & ebrij, vt à Ianitore, cui in egressu illudunt, describuntur, domum redeunt.

ERGASILVS, GELASIMVS, MICOPHAGVS, IANITOR.

ERGASILVS.


Ale fidelis ædium custos. MICOPH. *Vale*
Mi tardipes senex. IANIT. *Quid eructas?* GELAS. *Vale*
Moroloque Ianitor. IANIT. *Quid ebrius caput*
Mihi vellicas? potin quiescas? i domum.
Videte multibibos, merosque nepotulos.
ERGAS. *Bene nos.* IANIT. *Bene! immò pecudum ad instar, pessimè.*

Cras

Cras perpluet: namque arcus hodie largiter
Bibit. GELAS. *Quid hoc? statin pedes?* ERGAS. *Hola: caue*
Ne procidam. GELAS. *Ehe!* IANIT. *Nullus obsistat viæ:*
Est namque eis catapulta cubitus, est caput
Aries, balista humerus, genu feriunt: sita est
In ventre confidentia: hoc vino est vit I,
Primùm vt pedes captet. ERGAS. *Megistum attondimus*
Doctis dolis. GELAS. *Lactis boni, lanæ bonæ est.*
MICOPH. *Dum nos Megistus sic dapinabit probè,*
Eum medullitùs adamabimus. Procul
Abeant amici sordidi, quibus neque
Sunt lactis vbera, neque lanæ vellera.

IANITOR.

Hos dum Megistus sic dapinabit probè,
Eum medullitùs adamabunt, inquiunt:
Sincera quippe amicitia, quæ congijs
Et cantharis innixa tantùm; congijs
Et cantharis cum fæce siccatis, perit.
Non hos amicos; at pedes, mūscas, midas,
Culicesque veriùs vocarim, qui malo,
Odio, molestiæ omnibus; bono vsui
Sunt nemini. GELAS. *Frequentiùs posthac decet*
Nos hunc Megistum tonsitare: iam domum

Statuminati mutuis humeris, graui, &
Quàm possumus constante redeamus gradu.

IANIT. *Statuminati quamlibet per mutua*
Constante gressu, vt sobrio, nitemini
Vestras ad ædes regredi; nihil tamen
Opus specillis hic erit, vestra vt palàm
Sit vinolentia clarior meridie.
At, blaterones impudenter garrulos
Et sanguisugas à gula inexplebiles
Non audÿstis, vt Megistum offucÿs,
Sycophantÿs, fallacÿs venustulæ
Locutionis in malum inductum malè
Irriserint mirum in modum, atque illuserint?
Vos ite posthac larga mensarum asseclis
Huiusce generis apparate, si lubet,
Conuiuia: illos poculis immanibus
Explete: apud eos beneficia deponite:
Locoque gratiæ, velut ciconiæ
Rostro merentes approbè pinsent suo.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

NObilis apud Megistum pransus cum tribus prioribus Parasitis, de intemperanter nimis tractatis conuiuis suis, eum perstringit, & ad ambulandum prouocat.

PISTO-

PISTOCLERVS, MEGISTVS.

PISTOCLERVS.

Megiste largis hospites tractas modis.
MEGIST. *Meos amicos vt decet.* PIST. *Sed largiùs*
Paullo quidem quàm sobrios decet. MEGIS. *Grauem*
Nolim duobus vel tribus vini cadis
Tenacitatis aut hypocrisis notam
Incurrere. PIST. *At tricongij hi nepotuli*
Qui rettulere se domum, ebibito nimis
Suffarcinati sunt mero. MEGIST. *Madidè satis*
Madidos remisi, at sponte perpotos sua.
PIST. *Intemperante sunt nimis gulâ: vt voles,*
Vindemiarum fertiles montes bibent.
MEGIST. *Eiusmodi venatici, melosßici,*
Incommodißici saturiones viri
Paullùm ferendi sunt, modò haud frequentiùs
Nostrum inuolent obsonium. PIST. *Num collibet*
Obambulare nonnihil, dum prandij
Potus dapesque digerantur? MEGIST. *Collibet.*

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

Symbulus, fidelis seruus, tertiùm de heri sui reditu anxius, ad fidelitatem & vigilantiam se ipse hortatur.

SYMBVLVS solus.



On dum reuersus est herus, quem sedulò
Opperior: haud ideò tamen dabo otium
Animo, & quietem corpori, me vt reueniēs
Iussis suis, suæque familiæ, ac rei
Reperiat enixissimè intentum. Malus
Et nequam homo est, qui nihili heri imperium sui
Seruus facit: is est porrò nihili, qui immemor
Est exequi officium suum nisi monitus.
Qui liberos esse ilicò se deputant
Heri sui præsentis os cùm effugerint,
Edunt, bibunt, potant, nepotantur, obeunt
Bacchanal, helluantur, exsorbent penum,
Nec inest in his boni ingenI quidquam, nisi
Vt improbis se exerceant in artibus.
Cum illis mihi nec vsus vllus, nec locus,
Nec sermo conuenit. Ego, vt imperauit herus,
Eum, etsi abest, istic adesse existimo.
Nunc illum, ego, cùm hîc non adest, timidè horreo,
Ne cùm adsit horream. Euge Symbule quod agis
Age gnauiter: nam quanta te merces manet!
Non est futurus herus beneuolentissimus
Tantùm tibi; sed eius vsurariâ
Hæreditate perfrueris. Peruide
Quàm diuitia tuos labores creditam ob
Fidelitatem munerabunt præmia!
Quid verò mercenarij instar sordidi
Moror laborum præmia? ipse heri mei

In-

Incomparatus in me amor, quem offendere
Esset nefas, incomprehensaque bonitas
Mihi stimulus & acre calcar sint, decet
Ad celeritatem diligenti, sedulâ
Et singulari prouidentiâ. Exigo
Moras nociuas: hactenusque si dedi
Laudabilem vllam familiæ operam; impensiùs
Impensiorem singulis horis dabo.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

Benex auarus ad reposcendam secundò à Megisto pecuniam exiturus, cum suo famulo, nimis de thesauro sollicitus, vt custodiat atque diligenter domum claudat, agit.

CHRYSOPHYLAX, STAPHILVS.

Quod mutuum nuper Megisto tradidi
Aurum, reposcendum est mihi celerrimè:
Namque vt foro cedat, metuoque & suspicor,
Dum opes heriles helluatur prodigus.
Sed antequam longè pedem efferam domo,
Reuiso thesaurum abditum, num sit bène.
Staphile regredere ab ostio: illic sta: vide vt
Incedit! hunc fustem in manum si accepero,

Te promouebo. STAPH. *Adigar ego ad suspendium*
Potiùs quidem, quàm hoc pacto apud te seruiam.
CHRYS. *Audite quî secum scelestus murmurat.*
Etiamne me obseruare contendis, domi
Quid rerum agam? hinc abscede: trāsuersum indicem
Vnguemue latum si loco isto excesseris,
Minimumue respexis retro dum iussero;
Ego tibi obteram caput. Nimis metuo malè hunc,
Ne vbi meum aurum abdidi persentiat,
Qui in occipitio quoque habet oculos perspicax.
STAPH. *Hic comminisci non queo quid potuerit*
Hero meo accidisse, quæue insania:
Ita miserum me ad hunc modum, decies die
Vno, furenter ædibus pellit suis.
CHRYS. *Tranquillior demùm domo effero pedem,*
Cùm salua prospexi intus omnia. Age iam redi
Intrò, domumque gnauus accura. STAPH. *Domum*
Quid gnauus accurem? quis auferet domum?
Nil est in illa quod sibi quæsti putent
Fures: inaniis ita oppleta omnia
Sunt, atque araneis. CHRYS. *Iubenti obtempera:*
Ego mihi seruari has araneas volo.
Intelligis me? STAPH. *Intelligo.* CHRYS. *Nunc intrò abi,*
Foribusque clausis obde vtrumque pessulum.
Discrucior animi quia mihi abeundum est domo:
Et verò repetundâ vrgeor pecuniâ.
Grandibo quàm potero gradum, vt redeam ocyùs.

SCENA

SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

Megistus cum tribus conuiuis à mensâ tesseris ludit, choreas ducit, ad venationem se confert.

MEGISTVS, PISTOCLERVS, PHILOTIMVS, PHILOSYMPOSIVS.

PISTOCLERVS.

Malum ominatur dextra iactum tesseræ.
MEGIST. *Inauspicata teßera est.* PHILOT. *Artes nouas*
Dolosque consuis. PHILOS. *Videte quàm manu*
Planâ atque apertâ fundo mensæ tesseras.
PHILOT. *Quàm pronus est felixque iactus!* PIST. *At mihi*
Nunquam secundo tessera hæc casu cadit.
Quid execratæ sortis hanc regat, haud queo
Vel suspicari vel notare. MEGIST. *Ego alite,*
Reor, sinistrâ hunc auspicatus sum diem.
PHILOS. *Ternas monasque bina vix tibi obtigit.*
PIST. *Excantat istanc teßeram Dæmon, puto.*
MEGIST. *Malus hasce genius tesseras perdat malè.*
PHILOS. *Senio.* PHILOT. *Canis.* MEGIST. *Dæmon.* PHILOS. *Venus, quæ ter mihi*

Senarium explet: victor euasi: mea est
Pecunia istac tota præsentaria.
MEGIST. *Satis superque clepsit auri hac tessera:*
Eat in malam crucem. Libet tibicine
Recreare pectus, dum canes venatici
Et explicanda retia ad syluas vocent.
PIST. *Quos staticulos ego choreis congruos*
Percalleo, tantisper hîc exercito.
MEGIST. *Tripudiorum iam satis: num sint canes*
Molosici præstò, reuisendum est mihi.



ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

MEgistus Senem tertiò repetentem mutuam datam pecuniam ex domo sua exturbat cum interminatione mortis afferendæ: deinde Villicum, à quo reposcet contra ius trecentos Philippeos, crudeliter ad instrumentorum suorum rusticorum ac domus venditionem, metu carceris, auctor erit.

MEGISTVS, CHRYSOPHYLAX, STRATIPOCLES.

CHRY-

CHRYSOPHYLAX.

Quænam ista iniquitas? obsecro, peto, rogo
Aurum meum, quod mutuum dedi, &
domo
Exturbor: immò certa nex intenditur
Mihi. MEGIST. *Nisi te iam citò auferas domum,*
Mactabere infortunio. Quid me enecas
Reuersione tam frequenti? cras redi
Circa meridiem. CHRYS. *Quid huc deperditâ*
Operâ recursem? qui quidem vix repere
Queo senectâ prægrauatus. Nunc cedo
Pecuniam. MEGIST. *Si pertinax negotium*
Petace pergis exhibere ramice;
Non, ne quidem cras, mutuum reddam, at hodie
Malum feres. CHRYS. *Abeo: sat habeo, si modò*
Vel cras ego aureos habeo Philippeos.
MEGIST. *I, cum tua pecunia ad suspendium:*
Ita mea turbas consilia penissimè.
Nullum quidem vsquam hominum est genus vel
tetrius,
Vel publicæ cuiuis nocentius rei
Quàm sordidi atque incontinentes hi senes.
At ecce perstans alter ad fores, nouum
Qui suscitabit turbido fastidium.
STRAT. *Magnatium princeps Megiste, subueni*
Oppresso & afflictissimo inopiâ viro.
MEGIST. *Paucis ad aurem quæ premunt affer.*
CHRYS. *Quis hanc*
Non defleat meam miseriam? infaustior

Qui

Qui me sit orbe, & calamitosior suis
Nummarijs in rebus augendis, reor
Ego neminem: dedisse scilicet aureos
Philippeos huic trecentos mutuos,
Nec inde lucro quidpiam apponi mihi,
Nisi verbera, & conuicia, ac mortis minas!
Non est, via, video, aut modus, quo tam graues
Molestiarum digeram ægritudines.
MEGIST. *Num quid aliud vis?* STRAT. *Breuiter indigentiæ*
Meæ ac familiæ totius summam tibi
Retexui: succurre consilio & ope.
Miserere natorum meorum, & coniugis,
Incomparato quos labore, non sine
Ieiunitate corporisque impendio
Miser educo. MEGIST. *Dictum satis: pecuniam*
Amquire præsentariam. STRAT. *Non est domi:*
Non sunt amici. MEGIST. *Vade ad argentarios,*
Hastaue cuncta ruris arma subijce.
STRAT. *Vin' ergò paruos inediâ natos mori?*
Vin' ergò pauper exeam & nudus foras?
Vin' villâ vt exulem miser? MEGIST. *Diuendito*
Aedes tuas. STRAT. *Quis eas emat? rimas agunt:*
Venti, vetustas, imber ipsas impetu
Vno eruerunt: nequior totus modò
Est factus illarum vsus. MEGIST. *Vt vt est, crastino*
Volo die nummos trecentos afferas.

Sin,

Sin, te tuosque liberos & coniugem
Tenebricosos inferam in specus. STRAT. *Mihi*
Ergò obligator actione ciuica,
Et iure legetimo iube sis æqualiter
Quod postulaui debitum rependere.
MEGIST. *Leges forumq; nunc silent: indicta iam*
Iuris petundi mutit intermissio:
Et occupatio ad hæc vt incumbam, vetat.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

SEnex & Villicus ad Symbulum fidelem seruum depositiuri querelas vadunt: interim vini Mercator & Aurifaber ad Megistum dum eunt pro sibi debitis reposcendis; in Promum-Condum, qui apud Symbulum pro pecunia ad obsonium comparandum cunctatur, incurrunt, à quodum pecuniam accepturos se putant, offucijs circumuenti, inanes redeunt.

SYMBVLVS, CHRYSOPHYLAX, STRATIPOCLES, OENOPOLA, AVRIFEX, PROMVS-CONDVS.

SYMBV-

Statuminati mutuis humeris, graui, &
Quàm possumus constante redeamus gradu.
IANIT. *Statuminati quamlibet per mutua*
Constante gressu, vt sobrio, nitemini
Vestras ad ædes regredi; nihil tamen
Opus specillis hic erit, vestra vt palàm
Sit vinolentia clarior meridie.
At, blaterones impudenter garrulos
Et sanguisugas à gula inexplebiles.
Non audijstis, vt Megistum offucijs,
Sycophantijs, fallacijs venustulæ
Locutionis in malum inductum malè
Irriserint mirum in modum, atque illuserint?
Vos ite posthac larga mensarum asseclis
Huiusce generis apparate, si lubet,
Conuiuia: illos poculis immanibus
Explete: apud eos beneficia deponite:
Locoque gratiæ, velut ciconiæ
Rostro merentes approbè pinsent suo.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

Nobilis apud Megistum pransus cum tribus prioribus Parasitis, de intemperanter nimis tractatis conuiuis suis, eum perstringit, & ad ambulandum prouocat.

PISTO-

PISTOCLERVS, MEGISTVS.

PISTOCLERVS.

Megiste largis hospites tractas modis.
MEGIST. *Meos amicos vt decet.* PIST. *Sed largiùs*
Paullo quidem quàm sobrios decet. MEGIS. *Grauem*
Nolim duobus vel tribus vini cadis
Tenacitatis aut hypocrisis notam
Incurrere. PIST. *At tricongij hi nepotuli*
Qui rettulere se domum, ebibito nimis
Suffarcinati sunt mero. MEGIST. *Madidè satis*
Madidos remisi, at sponte perpotos sua.
PIST. *Intemperante sunt nimis gulâ: vt voles,*
Vindemiatum fertiles montes bibent.
MEGIST. *Eiusmodi venatici, melosici,*
Incommodistici saturiones viri
Paullùm ferendi sunt, modò haud frequentiùs
Nostrum inuolent obsonium. PIST. *Num collibet*
Obambulare nonnihil, dum prandij
Potus dapesque digerantur? MEGIST. *Collibet.*

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

SYmbulus, fidelis seruus, tertiùm de heri sui reditu anxius, ad fidelitatem & vigilantiam se ipse hortatur.

SYMBVLVS solus.



On dum reuersus est herus, quem sedulò
Opperior: haud ideò tamen dabo otium
Animo, & quietem corpori, me vt reueniēs
Iussis suis, suæque familiæ, ac rei
Reperiat enixissimè intentum. Malus
Et nequam homo est, qui nihili heri imperium sui
Seruus facit: is est porrò nihili, qui immemor
Est exequi officium suum nisi monitus.
Qui liberos esse ilicò se deputant
Heri sui præsentis os cùm effugerint,
Edunt, bibunt, potant, nepotantur, obeunt
Bacchanal, helluantur, exsorbent penum,
Nec inest in his boni ingenI quidquam, nisi
Vt improbis se exerceant in artibus.
Cum illis mihi nec vsus vllus, nec locus,
Nec sermo conuenit. Ego, vt imperauit herus,
Eum, etsi abest, istic adesse existimo.
Nunc illum, ego, cùm hîc non adest, timidè horreo,
Ne cùm adsit horream. Euge Symbule quod agis
Age gnauiter: nam quanta te merces manet!
Non est futurus herus beneuolentissimus
Tantùm tibi; sed eius vsurariâ
Hæreditate perfrueris. Peruide
Quàm diuitiæ tuos labores creditam ob
Fidelitatem munerabunt præmia!
Quid verò mercenarij instar sordidi
Moror laborum præmia? ipse heri mei

In-

Incomparatus in me amor, quem offendere
Esset nefas, incomprehensaque bonitas
Mihi stimulus & acre calcar sint, decet
Ad celeritatem diligenti, sedulâ
Et singulari prouidentiâ. Exigo
Moras nociuas: hactenusque si dedi
Laudabilem vllam familiæ operam; impensiùs
Impensiorem singulis horis dabo.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

Senex auarus ad reposcendam secundò à Megisto pecuniam exiturus, cum suo famulo, nimis de thesauro sollicitus, vt custodiat atque diligenter domum claudat, agit.

CHRYSOPHYLAX, STAPHILVS.

Quod mutuum nuper Megisto tradidi
Aurum, reposcendum est mihi celerrimè:
Namque vt foro cedat, metuoque & suspicor,
Dum opes heriles helluatur prodigus.
Sed antequam longè pedem efferam domo,
Reuiso thesaurum abditum, num sit bene.
Staphile regredere ab ostio: illic sta: vide vt
Incedit! hunc fustem in manum si accepero,

Te promouebo. STAPH. *Adigar ego ad suspendium*
Potiùs quidem, quàm hoc pacto apud te seruiam.
CHRYS. *Audite quî secum scelestus murmurat.*
Etiamne me obseruare contendis, domi
Quid rerum agam? hinc abscede: trãsuersum indicem
Vnguemue latum si loco isto excesseris,
Minimumue respexis retro dum iussero;
Ego tibi obteram caput. Nimis metuo malè hunc,
Ne vbi meum aurum abdidi persentiat,
Qui in occipitio quoque habet oculos perspicax.
STAPH. *Hic comminisci non queo quid potuerit*
Hero meo accidisse, quæue insania:
Ita miserum me ad hunc modum, decies die
Vno, furenter ædibus pellit suis.
CHRYS. *Tranquillior demum domo effero pedem,*
Cùm salua prospexi intus omnia. Age iam redi
Intrò, domumque gnauus accura. STAPH. *Domum*
Quid gnauus accurem? quis auferet domum?
Nil est in illa quod sibi quæsti putent
Fures: inaniis ita oppleta omnia
Sunt, atque araneis. CHRYS. *Iubenti obtempera:*
Ego mihi seruari has araneas volo.
Intelligis me? STAPH. *Intelligo.* CHRYS. *Nunc intrò abi,*
Foribusque clausis obde vtrumque pessulum.
Discrucior animi quia mihi abeundum est domo:
Et verò repetundâ vrgeor pecuniâ.
Grandibo quàm potero gradum, vt redeam ocyùs.

SCENA

SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

Megiſtus cum tribus conuiuis à menſa teſſeris ludit, choreas ducit, ad venationem ſe confert.

MEGISTVS, PISTOCLERVS, PHILOTIMVS, PHILOSYMPOSIVS.

PISTOCLERVS.

Malum ominatur dextra iactum teſſeræ.
MEGIST. *Inauſpicata teſſera eſt.* PHILOT. *Artes nouas*
Doloſque conſuis. PHILOS. *Videte quàm manu*
Planâ atque apertâ fundo menſæ teſſeras.
PHILOT. *Quàm pronus eſt felixque iactus!* PIST. *At mihi*
Nunquam ſecundo teſſera hæc caſu cadit.
Quid execratæ ſortis hanc regat, haud queo
Vel ſuſpicari vel notare. MEGIST. *Ego alite,*
Reor, ſiniſtrâ hunc auſpicatus ſum diem.
PHILOS. *Ternas monaſque bina vix tibi obtigit.*
PIST. *Excantat iſtanc teſſeram Dæmon, puto.*
MEGIST. *Malus haſce genius teſſeras perdat malè.*
PHILOS. *Senio.* PHILOT. *Canis.* MEGIST. *Dæmon.* PHILOS. *Venus, quæ ter mihi*

Senarium explet: victor euasi: mea est
Pecunia istæc tota præsentaria.
MEGIST. *Satis superque clepsit auri hæc tessera:*
Eat in malam crucem. Libet tibicine
Recreare pectus, dum canes venatici
Et explicanda retia ad syluas vocent.
PIST. *Quos staticulos ego choreis congruos*
Percalleo, tantisper hîc exercito.
MEGIST. *Tripudiorum iam satis: num sint canes*
Molossici præstò, reuisendum est mihi.



ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

MEgistus Senem tertiò repetentem mutuam datam pecuniam ex domo sua exturbat cum interminatione mortis afferendæ: deinde Villicum, à quo reposcet contra ius trecentos Philippeos, crudeliter ad instrumentorum suorum rusticorum ac domus venditionem, metu carceris, auctor erit.

MEGISTVS, CHRYSOPHYLAX, STRATIPOCLES.

CHRY-

CHRYSOPHYLAX.

QVænam ista iniquitas? obsecro, peto, rogo
Aurum meum, quod mutuum dedi, & domo
Exturbor: immò certa nex intenditur
Mihi. MEGIST. *Nisi te iam citò auferas domum,*
Mactabere infortunio. Quid me enecas
Reuersione tam frequenti? cras redi
Circa meridiem. CHRYS. *Quid hac deperditâ*
Operâ recursem? qui quidem vix repere
Queo senectâ prægrauatus. Nunc cedo
Pecuniam. MEGIST. *Si pertinax negotium*
Petace pergis exhibere ramice;
Non, ne quidem cras, mutuum reddam, at hodie
Malum feres. CHRYS. *Abeo: sat habeo, si modò*
Vel cras ego aureos habeo Philippeos.
MEGIST. *I, cum tua pecunia ad suspendium:*
Ita mea turbas consilia penissimè.
Nullum quidem vsquam hominum est genus vel tetrius,
Vel publicæ ciuis nocentius rei
Quàm sordidi atque incontinentes hi senes.
At ecce perstans alter ad fores, nouum
Qui suscitabit turbido fastidium.
STRAT. *Magnatium princeps Megiste, subueni*
Oppresso & afflictissimo inopiâ viro.
MEGIST. *Paucis ad aurem quæ premunt affer.*
CHRYS. *Quis hanc*
Non defleat meam miseriam? infaustior

Qui me sit orbe, & calamitosior suis
Nummariis in rebus augendis, reor
Ego neminem: dedisse scilicet aureos
Philippeos huic trecentos mutuos,
Nec inde lucro quidpiam apponi mihi,
Nisi verbera, & conuicia, ac mortis minas!
Non est, via, video, aut modus, quo tam graues
Molestiarum digeram ægritudines.
MEGIST. *Num quid aliud vis?* STRAT. *Breuiter indigentiæ*
Meæ ac familiæ totius summam tibi
Retexui: succurre consilio & ope.
Miserere natorum meorum, & coniugis,
Incomparato quos labore, non sine
Ieiunitate corporisque impendio
Miser educo. MEGIST. *Dictum satis: pecuniam*
Amquire præsentariam. STRAT. *Non est domi:*
Non sunt amici. MEGIST. *Vade ad argentarios,*
Hastaue cuncta ruris arma subiice.
STRAT. *Vin' ergò paruos inediâ natos mori?*
Vin' ergò pauper exeam & nudus foras?
Vin' villâ vt exulem miser? MEGIST. *Diuendito*
Aedes tuas. STRAT. *Quis eas emat? rimas agunt:*
Venti, vetustas, imber ipsas impetu
Vno eruerunt: nequior totus modò
Est factus illarum vsus. MEGIST. *Vt vt est, crastino*
Volo die nummos trecentos afferas.
Sin,

Sin, te tuosque liberos & coniugem
Tenebricosos inferam in specus. STRAT. *Mihi*
Ergò obligator actione ciuica,
Et iure legetimo iube sis æqualiter
Quod postulaui debitum rependere.
MEGIST. *Leges forumq; nunc silent: indicta iam*
Iuris petundi mutit intermissio:
Et occupatio ad hæc vt incumbam, vetat.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

Senex & Villicus ad Symbulum fidelem seruum deposituri querelas vadunt: interim vini Mercator & Aurifaber ad Megistum dum eunt pro sibi debitis reposcendis; in Promum-Condum, qui apud Symbulum pro pecunia ad obsonium comparandum cunctatur, incurrunt, à quo dum pecuniam accepturos se putant, offucijs circumuenti, inanes redeunt.

SYMBVLVS, CHRYSOPHYLAX, STRATIPOCLES, OENOPOLA, AVRIFEX, PROMVS-CONDVS.

SYMBV-

SYMBVLVS.

NE deprehendat infidelem ac desidem
Mei in ministerI obliganti munere
Herus reueniens: hîc breuem accepti & dati
Rationem inibo diligens ad calculum.
CHRYS. *Cui querelas occinam de iniuria*
Inusitata, quam Megistus helluo
Penus herilis, intulit? STRAT. *Quis me adiuuet*
Contra Megisti illacrymabilis minas,
Et impotente spiritu iactos metus?
PROM. *Emiror, ædium quibus cauernulis*
Et quo in recessu delitescat abditus
Symbulus: hunc voce, auribus, oculis, diu
Vestigo circum cuncta cursans, nec tamen
Ego vsquam eum inuenio, neque quò eum, aut
Quà quæritem, appellemue, consultum est satis.
Symbule. AVRIF. *Ego tenaciorem neminem*
Vidi vnquam. OENOP. *In ære totus est alieno.*
AVRIF. *Itan?*
PROM. *Symbule.* AVRIF. *Versuram extimesco: quod mihi*
Est debitum, reposcam. OENOP. *Tibi me congredi*
Certum est: mihi namque obligatur ob decem
Vinarias cupas, ei quas nudius
Quintus epulum ad solemne promptâ, vt dixerat,
Pecuniâ venum dedi. PROM. *Symbule: st.*
Inaudire videor æreos numos: init
Hîc vspiam vsurariæ expensæ suas
Ratiunculas. SYMB. *Ad aures quæ mihi*

Vox

Vox aduolauit? PROM. *Nostra vox alas habet:*
Siquidem huius aures aduolauit. SYMB. *Hinc enim*
Aurem mihi vox dextra, ni erro, verberat.
PROM. *Metuo meæ vocis vice, hunc quæ verberat,*
Hodie acriter ne vapulem. SYMB. *Promum audio:*
PROM. *Symbulus est; tandem requisitus diu*
Reperitur. Horas te duas amquirito
Symbule. SYMB. *Quorsum?* PROM. *Me Megistus gratiâ*
Obsonij vinique mercandi in forum
Emittit: æs vt porrigas, iubet. SYMB. *Iubet!*
Cunctare pauxillisper hîc, ad calculum
Expensa donec examussatim omnia
Reuocauero. PROM. *In meum redundabunt caput*
Omnes Megisti prodigentiæ, vt reor.
CHRYS. *Nil agimus, istic dum querelas fundimus.*
Vtinam expeditus peruolaret Pegasus.
Exercitæ in me iniquitatis nuncius
Aequissimum ad Patremfamilias, nimis
Diu suâ absentem domo. STRAT. *Quid rerũ agam?*
Quæ consilia in animum aduocem? quo me auxilI,
Opisue causâ conferam? SYMB. *Stupor grauis*
Sensum mihi externat omnem, dum nouam
Miseri Megisti prodigentiam expendo. Sed hi
Qui tristiores applicant ad me, sibi
Etiamne debitum à Megisto postulent?
CHRYS. *Symbulus adstat ad fores: querimoniam*
Omnem meam eius in sinum iacio. STRAT. *Mihi*
Spes perfugI nulla est, nisi vnicus, probus,
Indu-

Industrius, fidusque heri seruus sui
Symbulus: ille, spero, asylum & anchora
Erit omnium inopum & pauperum pauperrimo.
CHRYS. *Symbule.* STRAT. *Symbule.* SYMB.
Ecquid est quod vos grauat?
CHRYS. *O tempora!* STRAT. *O mores!* SYMB.
Quid est? CHRYS. *Nulla est fides.*
STRAT. *Viuit Tyrannis.* SYMB. *Vnde?* CHRYS.
Ius summum est mihi,
Socioque, summa iniuria. STRAT. *Impotens sui*
Potentia: opprimit iacentem pauperem
SYMB. *Quam tu quereris iniuriam? quam tu mihi*
Expostulas oppressionem? CHRYS. *Mutuos*
Quos aureos nuper Philippeos dedi
Ingratijs meis Megisto, non queo
Exobsecrando, flagitando, instantiùs
Vrgendo quà penus necessitas premit,
Redhibere. STRAT. *Centum illi annuis ego obligor*
Philippeis; at is trecentos postulat.
CHRYS. *Immò, quod impium est magis, dum identidem, vt*
Iussit, recurso postulaturus meum
Aurum; ex suis senem propellit ædibus
Conuicio grauatum, onustum verbere,
Et eminato territatum funere.
STRAT. *Vult, præstitutum ni ad diem quos exigit*
Philippeos indebitos nummos feram,
Cuncta arma nostri ruris hastæ subijci,
Aedesque latebras prolium venumdari.

CHRYS.

CHRYS. *Est falsiloquus.* STRAT. *Est falsificus.*
CHRYS. *Est falsarius.*
STRAT. *Est falsimonius.* CHRYS. *Atque falsiiurius.*
SYMB. *Tantis mederi non queo malis: cum*
Non illubenter interim tamen, sui
Monebo prudens offic I; quanquam frequens
Id ante feci. Patere tantisper malum
Tuum ferendo, dum familiæ nostræ herus
Reuorterit. CHRYS. *Si dum reuortet, est mihi*
Istuc ferendum, multa fortè sæcula
Voluentur inter temporis punctum hoc graue,
Et nauseantem tarditate terminum
Reuersionis. STRAT. *Ante quàm ipse reueniat,*
Ego domusque stirpe cum tota in nihil
Erimus, & atrum dissipati puluerem.
Serum est salubrem ferre pultem mortuis.
SYMB. *Herus morari cùm putatur, aduenit*
Subitò, ac repentè, furis & instar, suos
Incallidos, improuidosque torpidâ
Remissione dissolutos, excipit.

CHRYSOPHYLAX.

Feremus ergò, vt consulis: quanquam est graue
Perferre. SYMB. *Quod corrigere non quis, paululum*
Id mitigare, est integrum patientiâ.
CHRYS. *Licet spopondi ferre quod grauat malum,*
Hero obuiare mauelim, in sinum illius
Iniuriarum vt deferam questus. STRAT. *Sequor.*

PROM.

PROM. *Symbulus iis fecit satis: sed, ô malum!*
Eccum Oenopolam & Aurifabrum conspicor,
Quibus Megistus ære, clàm hunc, obnoxius
Est: res erit manifesta, ni occurram priùs.
SYMB. *Iam Prome-Conde (nam loqui tecum licet)*
Quid tute tecum? PROM. *Nil enim: sed, qui tibi*
Faciam satis, me si roges de sumptibus,
Recogito. SYMB. *Probè.* PROM. *Ei! quis hic misero metus?*
Nil est miserius, quàm mali animus conscius.
Hic ne tamen rescisçat, illis obuiam
Procedo: blandus occupabo præloqui.
OENOP. *Sed en Megisti Promus.* AVRIF. *Est percommodus.*
SYMB. *Quò tu te agis?* PROM. *Nec quoquam eo: heu! qui timor*
Istocce ne præsente debitum exigant.
Sed pergo adire. OENOP. *Salua res est: applicat*
Ad nos. AVRIF. *Patet spes magna de argento: h. duo,*
Vt video, sunt hilari meo aduentu: ast enim
Frustra. Philargyri mei, saluere vos
Iubeo. OENOP. *Pari simul salute salueas.*
Quid de pecuniâ? PROM. *Hah! abi sis belua.*
AVRIF. *Est vsus argento mihi meo.* PROM. *Sile*
Vt ambo sum vos conspicatus eminus,
Pilum putaui transadactum pectoris
Crates mei. OENOP. *Hic homo est inanis.* PROM. *Hic homo*

Est hariolus. AVRIF. *Quin: has omitte apinas leues*
Tricasque. PROM. *Tempestiuius nunquam mihi*
Potuistis aduenire. OENOP. *Quidnam est?* PROM. *Huc paululum*
Concedite. OENOP. *Siculas agis gerras: mihi*
Exprome sis argentum, age. PROM. *Scio te satis*
Bonâ esse voce: porrò ne clamosius
Contende. OENOP. *Quid ni? ego quidem clamo.* PROM. *Eu: gere*
Morem mihi. AVRIF. *Quid est tibi quod inutilem*
Morem geramus? PROM. *Hinc abite protinus*
Domum, precor. OENOP. *Abeamus!* PROM. *Istuc circiter*
Medium diem redite. AVRIF. *Pendes creditum?*
PROM. *Vobis ab ære sum obnoxius? sum debitor?*
OENOP. *Pendet Megistus?* PROM. *Pendet: ecce me offero*
Prædem. AVRIF. *Nihil præs iste rem nummariam*
Nostram penumque diuitabit: auxilI
Potentioris vsus est. PROM. *Fidem obligo*
Caputque: quid fastidiosi ad nauseam
Plura expetiscitis? OENOP. *Quid huc luso gradu*
Toties recursemus, operamque perditam
Diesque conteramus? AVRIF. *Hic quid si moram*
Nectamus ad meridiem? PROM. *Immo quidem, domum*
Abite, verum dico: abite inquam modò.
OENOP. *Quin vos mihi argentum datis: nugamini.*

PROM. *Eu! næ: tu abi modò, obsecro, ausculta mihi.*
AVRIF. *Hi: nominatim in vos merentes oggeram*
Infamiarum inexpiabiles notas.
O lingulacas, gurgites, voragines
Penus herilis, aleones improbos,
Nostroque pauperum ære fures dirutos!
PROM. *Es perbeatus quando hiante gutture*
In immerentes hæc iacis conuicia:
Quorum pudendas ni retersferis notas
Contrà reclamans more pœnitudinis;
Rapiere consertâ manu in Prætorium.
OENOP. *Nostrum repetimus debitum: quid tam diu*
Nos his dolis frustramini? præter modum
Sumus molesti? pendite argentum, neque hanc
Molestiæ feretis ægritudinem:
Vel aurea atque argentea sua huic viro
Et vina mihi quæ præstinastis, reddite.
PROM. *Istucce fieri non quit: hausta sunt.* OENOP. *Cedo*
Pecuniam. AVRIF. *Cedo debitum.* PROM. *Molestiam*
Quæcumque torquet, est necesse, beneuolo
Animæquiores perferatis pectore.
SYMB. *Heus, eia, nunc ad me redi.* PROM. *Iam isticero.*
OENOP. *In ius, forumque vos trahemus.* PROM. *Id caue:*
Induce tantùm: subsequemur, haud mora,
Cœnaticis modò alligemur vinculis.

AVRIF.

AVRIF. *Hem! etiam cachinnis venditat nos sannio.*
OENOP. *Numquid pudet, quæ est præstituta hoc temporis*
Pecunia numeranda, nolle mordicus
Numerare? quin, fraudare nos domestico
Quæstu? PROM. *Ecquid onerare his nos conuicijs*
Et immerentes, perpudet? Nunc in forum
Acius vicissim vos traham, dum quas malè
Infamiæ nobis inussistis notas,
Prorsum eluatis: iamque confectum hoc darem,
Negotij nisi existerem plenissimus.

OENOPOLA.

Post, paululum magis. Deinde ego mauelim
Mea vina cellis fusa promptuarijs
Perire guttatim, mihi quàm tam graues
Dari viris abs talibus molestias
Pecunijs in expetundis. AVRIF. *Haud quidem*
Ego titiuilitium dabo venum id modi viris.

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

PIstor per totam domum pro frumento ad molam dando Symbulum fidelem seruuum amquirit, abs quo cum Promo-Condo de parsimonia & fidelitate hero seruanda, grauiter commonetur.

PISTOR, PROMVS-CONDVS, SYMBVLVS.

PISTOR.

ISTuccine est mirum? domum omnem peruagor,
Triclinium, biclinium, cœnaculum,
Conclaue, tablinum, atrium, procœtium,
Cauædium, impluuium, hypætrum, andron, porticum,
Hortum, penum, pomarium, & omne peruium,
At nec Megistum offendo, nec Symbulum. PROM. *Ego*
Hunc architectum deputo, qui tam approbè
Adeoque ad vnguem principales ædium
Partes tenet. PIST. *Non stomacher? en vt præbeam*
Molitum, premor, quòd iam molctrinum vacet,
Panisque desit; at reperio neminem.
Nihil hodie coctum dabo. PROM. *Incoctum quàm edam,*
Te, Pistor, excoctum mauelim. PIST. *Abeo.* PROM. *Quid est*
Quod te subiratum video? PIST. *Tu istic eras?*
Vltro citroque commeans per omnia
Diuerticula domus, duorum ego alterum
Conquiro, Symbulum, aut Megistum; nec meis
Ambo ferunt sese obuios conspectibus.
PROM. *Ne excandeas: Symbulus hîc est.* PIST. *Alloquar.*

Sym-

Symbule, pinsendum est mihi, fac ad molam
Tres tritici modios dari. SYMB. *Hûi! tam celeriter*
Panem exedi! Num quindecim minus dies
Sunt cum medimnos tritici quinos tibi
Pro hisce ædibus dedi? estne ita vt dico? PIST. *Est ita:*
Et verò quid facias? nequis, si absumitur,
Seruare capsis integrum aut granarijs,
Ni forsan immortale triticum putes.
SYMB. *In quos abiuit illud vsus?* PIST. *Non modò*
Cibarium illo pinsui panem, at simul
Et dulciarium, crocatum, nauticum
Et saccharitem, liba, scriblitas, laganos,
Artocreas, tyrotarichos, placentulas,
Aliasque bacchanalium cupedulas.
SYMB. *Quis incitauit has vt intestabiles*
In cupedias tam prodigè disperderes
Frumentum herile? PIST. *Quis? Megistus.* SYMB. *An sibi?*
PIST. *Sibi, & epulonibus suis, quos perfrequens,*
Vt scis, habet: men' helluonem existimas,
Lauernionem, aut saccularium? SYMB. *Loco*
Istocce præstolare me paullùm. Tibi
Tu quid negotij obtigit, mihi omnia
In pauca conferens, profare. PROM. *Ad dapsile*
Obsonium vinumque mercandum in forum
Megistus ire me iubet. SYMB. *Quorsum?* PROM. *Quia*
Duo maximates consobrini, maximè


Cari & necessarij, domum aduenere, quos
Pollucibiliter, perbenignéque excupit
Hodie accipere conuiuio. SYMB. *Nil est mihi*
Peculij reliqui: comesum atque bibitum est:
Omne abstulere lanij, vinarij,
Coqui, aucupes, & eius ordinis homines.
Eum hacce de re conuenio: vos, vt probos decet,
Prudentiores este. Non statim omnibus
Iussis Megisti obtemperandum est: at priùs
Quid fas nefasque postulet, quasi trutinæ &
Aequilibritatis pensitato examine
Est ponderandum. Sobriè & frugaliter
Quiuis herilem qui penum accurat, suas
Solet illa rectè sub manus succedere.
At verò si est nequam ac malus; vertunt malè
Res quas agit. Vos ipso herili ab exitu,
Sub initium, laudabilem domui operam
Nauastis: in processu, honesto dispares
Initio, abhorretis fidelium probo
Ab instituto & more seruorum: malè
Ergò vereor ne res cadat. Si hoc temporis
Herus reueniat; (fors in hac vicinia est)
Quas infideli seruituti, quas suæ
Pecuniæ decoctioni audaciter
Factæ, integrum vobis erit prætexere
Purgationes, quæue prodigentiæ
Mantella vestræ obtendere? An non illius
Abeuntis interminata verbera,
Iras, cruces, exilia, clades, funera,

Formi-

Formidolosi pertimescitis? illius
Quis vos manu, si comprehendat, eximet?
Quæ perfugI spes? quodue confidentiæ
Stabulum? vlmeos fecisse vos, atque bubulis
Araße loris vestra terga, aut perpeti
Sexcentiplagos ferritribaces specu
Clausisse non satiabit ire incendium:
Vitam eripiet, & morte lentâ, nec salus
Vobis, salutem ferre si volet, feret.
Ita maximum montem miseriarum propè
Nunc imminere, ingruere, adesse conspicor.
PIST. *Exenteratum si tuum est marsupium,*
Quid innocentes arguis? quin conijcis
Culpam in Megistum? ipse est heri vicarius,
Nos administri: ipse omnium est causa & caput.
Iubet? vetat? paremus, vt seruos decet.
SYMB. *Non vos simulter, vt omnis autores mali,*
Incuso; verùm tantùm heri prænuncio
Iram imminentem, nulla quam placauerit
Purgatio. Vos cum Megisto, compari
Inuoluet iratus ruinâ & funere,
Si vos repentè reueniens offenderit
In prodigentia Megisto compares.
PIST. *Ego herum meum prudentiâ tantâ puto*
Septum esse, & experientiâ rerum omnium
Exercitatum, vt crimen infectum mihi haud
Ascribat inculpabili & scelerum integro,
Nec immerentem cum merente puniat.
SYMB. *Fecisse quod fecit cocus, te oportuit,*

Cessisse potiùs muneri pistorio,
Occasionem quàm dedisse crimini.
PIST. *Alter coquinatur; etiam alter pinseret.*
SYMB. *Satiùs heriles alter incurrat minas*
Trucesque pœnas. Qui sibi nequam, cui est
Bonus? PIST. *Meo si me expedissem munere,*
Precario nunc ostiatim egentia
Vt victitarem impelleret. SYMB. *Tenuis speies*
Fiduciæque: iamne mendicabulum
Cocum putas? PROM. *Siculas blatis gerras: cedo*
Quod postulo, ocyùs, vt Megisto obtemperem.
SYMB. *Me velle tamque cum Megisto colloqui*
Dixin' statim? quid inter. vrges-rumpere
Colloquia cœpta, monitionesque optimas?
Illius es subuorsor, illius illecebra.
Ego te grauissimè apud herum rei suæ
Domesticæ deperditæ insimulauero.
PROM. *Non sum augur, auspex, aut aruspex; attamen*
Faustè ominatus ante præcinui meum
Omnem Megisti prodigentiam in caput
Tandem relapsuram. SYMB. *Feras vt vt voles,*
Tuas renarrabo insolentias hero.
PROM. *Symbule nimium sæuiter: mirandum erit*
Si post tonitru argutionum, & fulmina,
Non depluet prælargus imber. At foris
Crepuit: Megistus est: is vt me offenderit,
Quòd non parari obsonium accurauerim,
Metuo acriter ne me increpet. SYMB. *De istoc metu*
Ocu-

Oculum in vtrumlibet otiosè dormias.
PROM. *Oculum in vtrum, an aurem?* PIST. *At eius non capis*
Raram loquendi formulam: aurem in vtramlibet
Quiescere, est impendio vulgatius.
Iubet hinc quietè vtrumque in oculum vt dormias.
PROM. *Indormiam non illibenter, ac diem*
Totum otiosè conteram, cupes penum
Modò copiosam dapsilemque comparet.



SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

PRomo renarrante aduenienti in scenam Megisto quæ à Symbulo sibi factæ sint redargutiones; Symbulus ipse de Megisti corrupta indole secum questus, se ad Megistum prudenter suauiterque commonendum parat.

MEGISTVS, PROMVS-CONDVS, SYMBVLVS.

MEGISTVS.

SVnt, Prome-Conde, quæ petieram obsonia
In hospitum aduentum, domi quos demoror,
Curata prouidè? PROM. *Mihi, morosior*

Sym-

Symbulus adstans proximè, quæ obiecerit
Pecuniam ab se flagitanti, suggeram
Tuas in aures, si dabis, breui. MEGIST. *Audiam.*
SYMB. *Refert Megisto quæ exprobraui singula:*
Si non aberret veritate, perparum est:
Immò, hæc sciat peto. Dolendum sanè, eum
Tantâ indole ingenioque præditum, suo
Ita deditum genio, & voluptati illici,
Vt transferatur mentis impotentiâ
Quò raptat insolens libido. Conspicor
Ideò euidenter quàm viro prosit, probè
Fuisse rectis educatum moribus
Iam tùm à pueritiæ exeunte circulo:
Nam quid Megisto multiplex scientia
Humanitatis, Aethicæ, Theologiæ,
Medicæ, Sophiæ, vtriusque Iuris conferet,
Quando illum inexpectatus huc rediens herus
A perfideli seruitute, strenuâ
Industriâ, vitæque sanctimoniâ
Reperiet incultum? quid illi proderit
Graio, Latino, Hispanico, Germanico,
Gallo, Italo, Schotico, Anglico, Hiberno, suum os
Tinxisse, & ad purum imbuisse idiomate?
Quid vniuersi vasta mundi climata
Obijsse? quidue gratiâ & fauoribus
Potentiorum, dignitatum per gradus
Omnes, supremum pertigisse verticem?
Quid, inquam, ea vniuersa quæ recensui
Demum Megisto proderunt, si moribus

Erit imparatus, quando herus reuerterit?
Nihil: sed hoc maioribus cruciabitur
Olim flagellis, quò fuerit instructior
Ab ingenIque corporiſque dotibus.
PROM. *Hæc ſumma verborum illius.* MEGIST.
Virum alloquar.
PROM. *Sed excidere penè quæ ſubinſeram.*
SYMB. *Venturus en ad me iam erat, niſi remoram*
Innexuiſſet Promus. Hîc te compara
Ad arguendum temperatè & ſuauiter
Symbule: comi lacteoque ore eſt tibi
Nunc opus ad hanc rem quam paras: nam leniter
In diſcolos qui ſæuiunt, ſapiunt magis.
Inſulſa quæuis intus, atque extra, caro
Si intemperatè condietur, non erit
Vtibilis vlli, nec palato amabilis.
Internecina ſed Megiſti vt indoles
Perferre poſsit ſalſilaginis parum
Contemperatum lenitudine, eſt metus.
Arguere amicum ob noxiam, aut næuum leuem,
Ingratioſum eſt; ſed grauem ob culpam & ſcelus,
Ingratioſius, at in ætate vtile
Eique conducibile. Ad illud aggredi
Inhorreo: inuitat tamen faciam, fides
Amorque herilis: ſolus eſt: vacat locus
Hortationi: verba ſuggerat Deus.
Megiſte ſalue: te volebam. MEGIST. *Salueas.*

SYMB.

SYMB. *Promumne causâ obsonij & vini in forum*
Emiseras? MEGIST. *Emiseram.* SYMB. *Ad me gratiâ*
Pecuniæ se contulit, sed inanior
Abscessit: MEGIST. *Hem! qui sic?* SYMB. *Quia propè funditus*
Euisceratum est sacciperium meum.
MEGIST. *Nihil super?* SYMB. *Pauxillulum.*
MEGIST. *Illud eroga*
In indigæ necessitudines domus.
SYMB. *Hoc antè quàm faxo, tuā in rem quod cadat*
Et dignitatem, si feres, breui eloquar.
MEGIST. *Præstolor istic hospites: prôin quàm potes*
Tam verba confer maximè in compendium.
SYMB. *Illum diem quo familiam suam tuæ*
Fiduciæ fideique herus concredidit,
Meminisse te approbè, scio: verùm, vt genus
Hominum immemor animus frequenter incitis
Quasi quadrigis per viam auiam rapit,
Eius voluntas vltima, eius præmia
Promissa pro vigile suæ rei ac domus
Custodiâ, horrendæ minæ eius, & cruces,
Certissimoque destinata funera
Incurijs, inertibus, torpentibus
Famulis, & argentarias opes malè
Deartuantibus helluantibusque, fors
Quod euenit passim, tibi excidere: apud
Te sis, modò, & animum aduoca: si cras herus
Nobis inexpectatus huc reuorteret,

Si

Si gallicinio, si in tenebris concubI,
Si nocte, si conticinio, si vespere,
Si iam; ecquid externatus, ac penitissimè
Deiectus à mente obrigeres sensibus?
MEGIST. *Symbule quàm repentè demutor tuâ*
Hortatione! SYMB. *Numquid est sanissima?*
MEGIST. *Omnia ego, quæ dixti, scio, & exsignauero*
Quod gloriam meam, & rem heri perfregerim.
Sciebam vt esse me deceret: at, miser
Facere nequibam: ita blandulo atque delinifico
Sermone familiarium vinctus, mero
Et captus otio incidi in fraudem, in malum
Meum, meàque perniciem. SYMB. *Id ego perspicax*
Et suspicax diu ante preuidi: tamen
Ne mu quidem, quo præcauerem impendium,
Ausus fui tinnire: nunc vt proximam
Interitui sum conspicatus rem, non quij
Silentio illam longiore inuoluere.
MEGIST. *Proinde multas, vt merere, gratias*
Tibi habeo, dumque viuam, habebo maximas.
SYMB. *Megiste noui quàm facilis obaudias*
Melle oblitis, ast intus atro liuidis
Felle illecebris familiarium ac dolis.
Pernoui ego quidem tuam rectam indolem,
Scio sponte non tuapte te errasse: sed
Intemperatam beneuolentiam, quæ bonos
Mores facit moros & amentes, tibi
Fuscasse pectus: ast etiam, & etiam rogo
Te vnum, vt qui abusus es rem herilem inanibus
Vanis-

PROM. *Eu! ne: tu abi modò obsecro, ausculta mihi.*
AVRIF. *Hi: nominatim in vos merentes oggeram*
Infamiarum inexpiabiles notas.
O lingulacas, gurgites, voragines
Penus herilis, aleones improbos,
Nostroque pauperum ære fures dirutos!
PROM. *Es perbeatus quando hiante gutture*
In immerentes hæc iacis conuicia:
Quorum pudendas ni reterseris notas
Contrà reclamans more pœnitudinis;
Rapiere consertâ manu in Prætorium.
OENOP. *Nostrum repetimus debitum: quid tam diu*
Nos his dolis frustramini? præter modum
Sumtus molesti? pendite argentum, neque hanc
Molestiæ feretis ægritudinem.
Vel aurea atque argentea sua huic viro
Et vina mihi quæ præstinastis, reddite.
PROM. *Istucce fieri non quit: hausta sunt.* OENOP. *Cedo*
Pecuniam. AVRIF. *Cedo debitum.* PROM. *Molestiam*
Quæcumque torquet, est necesse, beneuolo
Animæquiores perferatis pectore.
SYMB. *Heus, eia, nunc ad me redi.* PROM. *Iam isticero.*
OENOP. *In ius, forumque vos trahemus.* PROM. *Id caue:*
Induce tantùm: subsequemur, haud mora,
Cœnaticis modò alligemur vinculis.

AVRIF.

AVRIF. *Hem! etiam cachinnis venditat nos sannio.*

OENOP. *Numquid pudet, quæ est præstituta hoc temporis*
Pecunia numeranda, nolle mordicus
Numerare? quin, fraudare nos domestico
Quæstu? PROM. *Ecquid onerare his nos conuicijs*
Et immerentes, perpudet? Nunc in forum
Ac ius vicissim vos traham, dum quas malè
Infamiæ nobis inussistis notas,
Prorsum eluatis: iamque confectum hoc darem,
Negotij nisi existerem plenissimus.

OENOPOLA.

Post, paululum magis. Deinde ego mauelim
Mea vina cellis fusa promptuarijs
Perire guttatim, mihi quàm tam graues
Dari viris abs talibus molestias
Pecunijs in expetundis. AVRIF. *Haud quidem*
Ego titiuilitium dabo venum id modi viris.

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

Pistor per totam domum pro frumento ad molam dando Symbulum fidelem seruum amquirit, abs quo cum Promo-Condo de parsimonia & fidelitate hero seruanda, grauiter commonetur.

PISTOR, PROMVS-CONDVS, SYMBVLVS.

PISTOR.

Stuccine est mirum? domum omnem peruagor,
Triclinium, biclinium, cœnaculum,
Conclaue, tablinum, atrium, procœtium,
Cauædium, impluuium, hypætrum, andron, porticum,
Hortum, penum, pomarium, & omne peruium,
At nec Megistum offendo, nec Symbulum. PROM. *Ego*
Hunc architectum deputo, qui tam approbè
Adeoque ad vnguem principales ædium
Partes tenet. PIST. *Non stomacher? en vt præbeam*
Molitum, premor, quòd iam moletrinum vacet,
Panisque desit; at reperio neminem.
Nihil hodie coctum dabo. PROM. *Incoctum quàm edam,*
Te, Pistor, excoctum manelim. PIST. *Abeo.* PROM. *Quid est*
Quod te subiratum video? PIST. *Tu istic eras?*
Vltro citroque commeans per omnia
Diuerticula domus, duorum ego alterum
Conquiro, Symbulum, aut Megistum; nec meis
Ambo ferunt sese obuios conspectibus.
PROM. *Ne excandeas: Symbulus hic est.* PIST. *Alloquar.*

Sym-

Symbule, pinsendum est mihi, fac ad molam
Tres tritici modios dari. SYMB. *Hûi! tam celeriter*
Panem exedi! Num quindecim minus dies
Sunt cum medimnos tritici quinos tibi
Pro hisce ædibus dedi? estne ita vt dico? PIST. *Est ita:*
Et verò quid facias? nequis, si absumitur,
Seruare capsis integrum aut granarijs,
Ni forsan immortale triticum putes.
SYMB. *In quos abiuit illud vsus?* PIST. *Non modò*
Cibarium illo pinsui panem, at simul
Et dulciarium, crocatum, nauticum
Et saccharitem, liba, scriblitas, laganos,
Artocreas, tyrotarichos, placentulas,
Aliasque bacchanalium cupedulas.
SYMB. *Quis incitauit has vt intestabiles*
In cupedias tam prodigè disperderes
Frumentum herile? PIST. *Quis? Megistus.* SYMB. *An sibi?*
PIST. *Sibi, & epulonibus suis, quos perfrequens,*
Vt scis, habet: men' helluonem existimas,
Lauernionem, aut saccularium? SYMB. *Loco*
Istocce præstolare me paullùm. Tibi
Tu quid negotij obtigit, mihi omnia
In pauca conferens, profare. PROM. *Ad dapsile*
Obsonium vinumque mercandum in forum
Megistus ire me iubet. SYMB. *Quorsum?* PROM. *Quia*
Duo maximates consobrini, maximè

Cari & necessarij, domum aduenere, quos
Pollucibiliter, perbenignéque excupit
Hodie accipere conuiuio. SYMB. *Nil est mihi*
Peculij reliqui: comesum atque bibitum est:
Omne abstulere lanij, vinarij,
Coqui, aucupes, & eius ordinis homines.
Eum hacce de re conuenio: vos, vt probos decet,
Prudentiores este. Non statim omnibus
Iussis Megisti obtemperandum est: at priùs
Quid fas nefasque postulet, quasi trutinæ &
Aequilibritatis pensitato examine
Est ponderandum. Sobriè & frugaliter
Quiuis herilem qui penum accurat, suas
Solet illa rectè sub manus succedere.
At verò si est nequam ac malus; vertunt malè
Res quas agit. Vos ipso herili ab exitu,
Sub initium, laudabilem domui operam
Nauastis: in processu, honesto dispares
Initio, abhorretis fidelium probo
Ab instituto & more seruorum: malè
Ergò vereor ne res cadat. Si hoc temporis
Herus reueniat; (fors in hac vicinia est)
Quas infideli seruituti, quas suæ
Pecuniæ decoctioni audaciter
Factæ, integrum vobis erit prætexere
Purgationes, quæue prodigentiæ
Mantella vestræ obtendere? An non illius
Abeuntis interminata verbera,
Iras, cruces, exilia, clades, funera,

Formi-

Formidolosi pertimescitis? illius
Quis vos manu, si comprehendat, eximet?
Quæ perfugI spes? quodue confidentiæ
Stabulum? vlmeos fecisse vos, atque bubulis
Araße loris vestra terga, aut perpeti
Sexcentiplagos ferritribaces specu
Clausisse non satiabit iræ incendium:
Vitam eripiet, & morte lentâ, nec salus
Vobis, salutem ferre si volet, feret.
Ita maximum montem miseriarum propè
Nunc imminere, ingruere, adesse conspicor.
PIST. *Exenteratum sit tuum est marsupium,*
Quid innocentes arguis? quin conijcis
Culpam in Megistum? ipse est heri vicarius,
Nos administri: ipse omnium est causa & caput.
Iubet? vetat? paremus, vt seruos decet.
SYMB. *Non vos simulter, vt omnis autores mali,*
Incuso; verùm tantùm heri prænuncio
Iram imminentem, nulla quam placauerit
Purgatio. Vos cum Megisto, compari
Inuoluet iratus ruinâ & funere,
Si vos repentè reueniens offenderit
In prodigentia Megisto compares.
PIST. *Ego herum meum prudentiâ tantâ puto*
Septum esse, & experientiâ rerum omnium
Exercitatum, vt crimen infectum mihi haud
Ascribat inculpabili & scelerum integro,
Nec immerentem cum merente puniat.
SYMB. *Fecisse quod fecit cocus, te oportuit,*

Cesſiſſe potiùs muneri piſtorio,
Occaſionem quàm dediſſe crimini.
PIST. *Alter coquinatur; etiam alter pinſceret.*
SYMB. *Satiùs heriles alter incurrat minas*
Truceſque pœnas. Qui ſibi nequam, cui eſt
Bonus? PIST. *Meo ſi me expediſſem munere,*
Precario nunc oſtiatim egentia
Vt victitarem impelleret. SYMB. *Tenuis ſpei es*
Fiduciæque: iamne mendicabulum
Cocum putas? PROM. *Siculas blatis gerras: cedo*
Quod poſtulo, ocyùs, vt Megiſto obtemperem.
SYMB. *Me velle iamque cum Megiſto colloqui*
Dixin' ſtatim? quid inter. vrges-rumpere
Colloquia cœpta, monitioneſque optimas?
Illius es ſubuorſor, illius illecebra.
Ego te grauiſsimè apud herum rei ſuæ
Domeſticæ deperditæ inſimulauero.
PROM. *Non ſum augur, auſpex, aut aruſpex; attamen*
Fauſtè ominatus ante præcinui meum
Omnem Megiſti prodigentiam in caput
Tandem relapſuram. SYMB. *Feras vt vt voles,*
Tuas renarrabo inſolentias hero.
PROM. *Symbule nimium ſæuiter: mirandum erit*
Si poſt tonitru argutionum, & fulmina,
Non depluet prælargus imber. At foris
Crepuit: Megiſtus eſt: is vt me offenderit,
Quòd non parari obſonium accurauerim,
Metuo acriter ne me increpet. SYMB. *De iſtoc metu*

Ocu-

Oculum in vtrumlibet otiosè dormias.
PROM. *Oculum in vtrum, an aurem?* PIST. *At eius non capis*
Raram loquendi formulam: aurem in vtramlibet
Quiescere, est impendio vulgatius.
Iubet hinc quietè vtrumque in oculum vt dormias.
PROM. *Indormiam non illibenter, ac diem*
Totum otiosè conteram, cupes penum
Modò copiosam dapsilemque comparet.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

Promo renarrante aduenienti in scenam Megisto quæ à Symbulo sibi factæ sint redargutiones; Symbulus ipse de Megisti corrupta indole secum questus, se ad Megistum prudenter suauiterque commonendum parat.

MEGISTVS, PROMVS-CONDVS, SYMBVLVS.

MEGISTVS.

Svnt, Prome-Conde, quæ petieram obsonia
In hospitum aduentum, domi quos demoror,
Curata prouidè? PROM. *Mihi, morosior*

Sym-

Symbulus adstans proximè, quæ obiecerit
Pecuniam ab se flagitanti, suggeram
Tuas in aures, si dabis, breui. MEGIST. *Audiam.*
SYMB. *Refert Megisto quæ exprobraui singula:*
Si non aberret veritate, perparum est:
Immò, hæc sciat peto. Dolendum sanè, eum
Tantâ indole ingenioque præditum, suo
Ita deditum genio, & voluptati illici,
Vt transferatur mentis impotentiâ
Quò raptat insolens libido. Conspicor
Ideò euidenter quàm viro prosit, probè
Fuisse rectis educatum moribus
Iam tùm à pueritiæ exeunte circulo:
Nam quid Megisto multiplex scientia
Humanitatis, Aethicæ, Theologiæ,
Medicæ, Sophiæ, vtriusque Iuris conferet,
Quando illum inexpectatus huc rediens herus
A perfideli seruitute, strenuâ
Industriâ, vitæque sanctimoniâ
Reperiet incultum? quid illi proderit
Graio, Latino, Hispanico, Germanico,
Gallo, Italo, Schotico, Anglico, Hiberno, suum os
Tinxisse, & ad purum imbuisse idiomate?
Quid vniuersi vasta mundi climata
Obijsse? quidue gratiâ & fauoribus
Potentiorum, dignitatum per gradus
Omnes, supremum pertigisse verticem?
Quid, inquam, ea vniuersa quæ recensui
Demum Megisto proderunt, si moribus

Erit

Erit imparatus, quando herus reuerterit?
Nihil: sed hoc maioribus cruciabitur
Olim flagellis, quò fuerit instructior
Ab ingenIque corporisque dotibus.
PROM. *Hæc summa verborum illius.* MEGIST.
Virum alloquar.
PROM. *Sed excidere penè quæ subinferam.*
SYMB. *Venturus en ad me iam erat, nisi remoram*
Innexuisset Promus. Hîc te compara
Ad arguendum temperatè & suauiter
Symbule: comi lacteoque ore est tibi
Nunc opus ad hanc rem quam paras: nam leniter
In discolos qui sæuiunt, sapiunt magis.
Insulsa quæuis intus, atque extra, caro
Si intemperatè condietur, non erit
Vtibilis vlli, nec palato amabilis.
Internecina sed Megisti vt indoles
Perferre possit salsilaginis parum
Contemperatum lenitudine, est metus.
Arguere amicum ob noxiam, aut næuum leuem,
Ingratiosum est; sed grauem ob culpam & scelus,
Ingratiosius, at in ætate vtile
Eique conducibile. Ad illud aggredi
Inhorreo: inuitat tamen faciam, fides,
Amorque herilis: solus est: vacat locus
Hortationi: verba suggerat Deus.
Megiste salue: te volebam. MEGIST. *Salueas.*

SYMB.

Si gallicinio, si in tenebris concubI,
Si nocte, si conticinio, si vespere,
Si iam; ecquid externatus, ac penitissimè
Deiectus à mente obrigeres sensibus?
MEGIST. *Symbule quàm repentè demutor tuâ*
Hortatione! SYMB. *Numquid est sanissima?*
MEGIST. *Omnia ego, quæ dixti, scio, & exsignauero*
Quod gloriam meam, & rem heri perfregerim.
Sciebam vt esse me deceret: at, miser
Facere nequibam: ita blandulo atque delinifico
Sermone familiarium vinctus, mero
Et captus otio incidi in fraudem, in malum
Meum, meãque perniciem. SYMB. *Id ego perspicax,*
Et suspicax diu ante prævidi: tamen
Ne mu quidem, quo præcauerem impendium,
Ausus fui tinnire: nunc vt proximam
Interitui sum conspicatus rem, non quij
Silentio illam longiore inuoluere.
MEGIST. *Proinde multas, vt merere, gratias*
Tibi habeo, dumque viuam, habebo maximas.
SYMB. *Megiste noui quàm facilis obaudias*
Melle oblitis, ast intus atro liuidis
Felle illecebris familiarium ac dolis.
Pernoui ego quidem tuam rectam indolem,
Scio sponte non tuapte te errasse: sed
Intemperatam beneuolentiam, quæ bonos
Mores facit moros & amentes, tibi
Fuscasse pectus: ast etiam, & etiam rogo
Te vnum, vt qui abusus es rem herilem inanibus
Vanis-


Vaniſque amicorum ſodalitijs, tenax
Vſum neceſsitudinemque, eiuſmodi
Poſthac ſodalitatibus renuncies.
Etenim hoc habe: ſi ſtrennè ac frugaliter
Cum pœnitudine ac timore quicquid eſt
Super rei nummariæ accurantem herus
Te offenderit; veniam ipſe prodigentiæ
Tuæ dabit & impunitatē. MEGIST. *At quis modus*
Vt hancce veterem beneuolentiam abdicem,
Ne collutuler ab improbatis moribus?
SYMB. *Si ſit voluntas, nullo quidem negotio*
Id feceris: poßunt trecentæ colligi
Cauſæ: viris ſcitantibus de te, inquiat
Cuſtos foris: non eſt domi, dormit, lauat,
Prandet, abijt iam inambulatum, ſeriò
Eſt occupatus, orat, ornatūr, ſtudet,
Æger laborat, combibit catharticum,
Congreſsiones vt frequentes exeat
Medicus iubet, non eſt ei operæ, non poteſt.
MEGIST. *Animo meo vehementer adlubet, catus*
Quod conſulis: verum hocce ſi effectum dare
Conabor, audiam malè, & latebricola, &
Humanitatis omnis expers, ac ferus
Theſauro-chryſoni-cochryſides ego pipulo
Iniuriaque compitatim differar.
SYMB. *Eho! tu inanes proletarij gregis*
Rumuſculos times inaudax! rideant,
Exſibilent, nutent, fremant, nictent, vocent,
Tuum oſtium occentent, domumque vellicent,

Perſtent

Persent molesti quàm velint, nam quid eo opus?
Ipsi labores, quos adibis, arduos
Non præmiabunt, otiumuè punient:
Namque omne munus istud est herum penes.
MEGIST. *Rectè quidem dicis, tibique assentior;*
At omne me genus officI intermittere,
Humanitateque exui, pudet parum.
SYMB. *Ho! te pudere, quàm pigere literis*
Totidem, potius est. Si tamen te permouet
Vultumque honesta purpurat pudentia,
Benignioris quòd tenere lineam
Humanitatis integrum tibi haud erit,
Si nuncium penitus remiseris
Tuorum amicorum sodalitijs; ego
Humanitatis alterum modum tibi,
Cûi concines, clarè indicabo, & perbreuì.
MEGIST. *Audire valde gestio, quis sit mihi, vt*
Spondes, colendæ humanitatis hicmodus.
SYMB. *Benignitatem liberalis exere*
In vile pauperum genus, nec de viâ
Humanitatis Christianæ tantulùm
Deflexeris: quin immò fæneraberis
Herique nostri transferes pecuniam
In quæstum, vt ille reueniens lætitijs
Magnoque delibutus à te gaudio
Incedat, istoc & priora corrigas
Errata facto. MEGIST. *Abscede paullùm dum tua*
Consulta mecum disputaro exactiùs.

Delibe-

Deliberata nam voluntas proximè
Hæc me vt capessam diligenter, incitat.
SYMB. *Obaudio libens: caue ne concidat*
Nascens cupido. Sanitatis vna pars
Est, velle sanari: grauat eum insanitas:
Piget vetustæ ac tædet ægrimoniæ:
Plagam videt: se deuiasse segregem
Non infitetur: est repostus in viâ.
Metuo malè malo ne auiet commercio:
Vt namque fit: malus bonum malum esse vult,
Bonosque fœdè mores inquinant mali.



SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

IAnitor, monito Megisto, eum expectari à tribus sanguisugis hospitib⁹, it ad forum pro vino molliore afferendo, quia domesticum exhaustũ partim, partim acidum est. Megistus de ijs excipiendis primũ secum diu recogitat; deinde reformidans inhumanitatis notam, vltimum se ijs daturum epulum, insequentique die aliam vitam inturum pollicetur.

IANITOR, MEGISTVS.

IANITOR.

T*Erni, Megiste, prãdium expectant domi.*
MEGIST. *Qui?* IANIT. *Non satis scio:*
sed, vt præ se ferunt,
Crumenimulgæ & sanguisugæ hirudines
Ternæ videntur. MEGIST. *Quidnam ais?* IANIT.
Hirundines
Ternæ mihi visæ, (inquio.) MEGIST. *Ver nunciant.*
IANIT. *Messem magis vindemiamque nunciant.*
Ego interim irrepo in forum, vinarias
Vt hasce vino molliore obbas graues
Referam. MEGIST. *Quid ita?* IANIT. *Eò quod domesticum asperum*
Et mucidum est cum fæce siccatis cadis
A noctuinis ac diurnis nuperæ
Mensæ asseclis. MEGIST. *Vola.* IANIT. *Volabo, si volat*
Testudo. MEGIST. *Nunc mecum breui recolligam*
Productione longior quæ texuit
Symbulus, antè quàm salutem impertiam
Hospitibus, vt ne intemperantiùs bibam.

Secum nonnihil meditatus, subiunget
quæ sequuntur.

Ita est: herilem perdidi rem, atque penitus
Deartuaui: nulla confidentiæ
Est anchora, ad quam tutus applicem, cùm herus
Improuidè reuorterit: quid consilî?

T Secum

Secum iterum meditabitur anxius.

Cur verò tantùm, consilI anceps differor?
Cùm distrahenti sémetipsum animo meo
In mille partes, sanius, præsentius,
Adeoque facilius obuiet nullum mihi,
Quàm quod sagax prudensque Symbulus probè
Suggessit: illud exequar, occinant, nuant,
Nictent, fremant mei familiares: nihil
Ad me: vnius heri beneuolentia, & fauor,
Mihi pluris est, quàm familiarium omnium
Omnes amicitiæ, aut odia acerbissima.

SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

TRes Megisti consobrini, mensarum asseclæ, ex eius ædibus egressi, eidem secum meditabundo atque sollicito, obuiāt, quem ad omnem vanam deponendam anxitudinem, liberamque compotationem perniciosâ assentatione cohortantur.

MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS, & PISTOCLERVS.

MEGISTVS.


Ed consobrinos conspicor: quid fecero?
Eos domo si exclusero, vitio mihi
Vertetur, vt quos supplice antevenerim
Con-

Contentione, ne hospitandi gratiâ
Deflecterent viam alterorsum, quàm in meas
Aedes: penes me si hospitentur; quòd modò
Decreueram, infringo, meamque ad indolem,
Vt at volutabrum sues, redeo: hæreo hîc,
Prorsusque inops sum consilI: iste est anxifer
Ancepsque casus: nec mihi quidquam satis
Quod approbem sequarue, succurrit, nisi
Violare me iura hospitI, illos si mea
Excludo mensa: meus abhorret hanc grauem
Subire turpitudinis maculam animus,
Maculam quidem indelebilem: quâ ne noter,
Decreta res est hodie vltimum epulum dabo:
Cras comparabo me ad nouum vitæ genus.
PHILOT. *Subtristis est, nescio quid: aggredi eũ paro.*
PHILOS. *Subtristior nobis Megiste, quàm soles,*
Videre. PISTOCL. *Quidnam tàm repentè pristinam*
Frontis tuæ hilaritudinem atque oris decus
Demutat? PHILOS. *An sors læua pessumdat domum?*
MEGIST. *Discrucior animi dum recolligo meam*
Penus herilis prodigentiam, cũi
Vllus mederi vix queat. PIST. *Tuam indolem*
Rectam enecas, Megiste, teque ipsum grauas
Mœrore inani: mitiga pectus dolens,
Curasque pelle noxias. PHILOS. *Rebus tuis*
Propitia lima iudicI, vis ingenI,
Virilis ætas, eloquendi gratia,
Opes, amici, dignitas, scientia,
Securiorem vt exigas vitam, iubent.

PHILOT. *Quid anxitudo, quam doloris & necis*
Tibi propinquæ seminarium? exime hanc.
PIST. *Accedit huc longinquitas viæ, quam init*
Herus, & inoffensa illius bonitas, cui
Securus inniti potes. Si quæ tamen
Sunt corrigenda: corriges ante illius
Reditum facillimè & resarcies. Nihil
Est quòd pavore lurido pectus neces.
PHILOS. *Tua in statu prosperrimo sunt omnia.*
Ergo beatis lætior rebus redi
[illegible] hilaritudinem, orisque purpuram.
PIST. *[illegible] sunt ea ingenia, & magis*
Mortalium [illegible] utibilia,
Quæ [illegible] PHILOT. *Temerarios*
[illegible] exigat, quando nihil
[illegible] MEGIST. *Regi me hortatibus*
Vestris [illegible] ergò ut liberali temeto
Curas [illegible] meas
[illegible] in ædes. PHILOS. PIST. PHILOT.
Consequemur hospitem.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

...ulus inconstantem, & ad prodigen-
...am antiquã relapsum Megisti animum
...t, se interim ad fidelitatem hero suo
...ter præstandam comparans, atque
...ens.

SYMB.

SYMBVLVS solus.

MEumne frustra palpitauit cor metu,
Ne discolis coinquinatum moribus
Commercium meliore de sententia
Sua Megistum dimoueret? pristinas
Epulas repetit: heu! quàm vereor ne heri graues
Incurrat iras! fortè tacitus computat
Secum priores seriore industriâ
Socordias pensare: verùm improuidus
Ante occupabitur reditu inopino heri.
Tum quot profundet lacrymas! quot irritos
Gemitus dolenti corde frustra saucius
Expectorabit! quo sonabunt pectora
Contusa planctu! quot querelas exprimet
Non profuturas! O Megiste, quàm tuas
Doleo vices! at irrita est miseratio
Miserabilis non præuidentis eminus
Neque cominus suas miserias. Prodigi
Medicam adhibere vulneri cæco manum
Vltra haud queo: quas subministrauit mihi
Natura vires machinasque, ad illius
Animum obterendum pertinacem, identidem
Admoui: ego deinde mihimet, ac rebus meis
Vt continenter aduigilem, operam dabo.



SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

Ianitor perculſſus rumuſculis de heri ſui ſubito reditu, à foro rediens vineis duobus onuſtus cantharis, Megiſtum cum conuiuis turbat, Promo & Piſtore viſentibus num ita ſe res habeat.

IANITOR, MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS, PISTOCLERVS, PISTOR, PROMVS-CONDVS,

IANITOR.



Vllus ſum: eheu! nullus ſum: eheu! occcidi: metus
Omnem mihi ex animo ſcientiam expectorat,
Cor mortuum eſt: miſero tremunt mēbra: eu! domum
Pertingere haud potero, ita vereor in via
Ne deſerat me ſpiritus ob hos nuncios
Heri reuertentis domum. Quid ſi modò
Reuerterit? quid ſi ad fores mihi obuiet,
Et alligatum cernat hiſce cantharis?
Sexcentiplagæ me neci dedet, ſcio.
Hac ergò condam pondus in vicinia,
Et certiorem nunciorum huiuſmodi
Faciam Megiſtum, vt cautioni indulgeat.

PHILOS.

PHILOS. *Tuæ, Megiſte, ſanitati hunc vrceum*
Plenum lyæi mollioris præbito
Medullitùs. MEGIST. *Bibam libenter: perbibe.*
IANIT. *Megiſte.* MEGIST. *Quidnam eſt?* IANIT.
Ha! ego & tu. MEGIST. *Quidnam ego*
Et tu? IANIT. *Periÿmus.* MEGIST. *Quid ita?*
IANIT. *Adeſt herus.* MEGIST. *Quid ego*
Ex te audio? IANIT. *Abſumpti ſumus: herus,*
inquam, adeſt.
MEGIST. *Vbi, obſecro te, is eſt?* IANIT. *Adeſt.*
MEGIST. *Quiſnam audÿt?*
Quis vidit? IANIT. *Is qui certò eum in via modò*
Affatus eſt, certiſsimò in foro mihi
Iam nunc renunciauit. MEGIST. *Itane?* IANIT. *Ita*
eſt. MEGIST. *Væ mihi.*
Hei! quid ego agam? tun' audÿſti? IANIT. *Eſt mirum: ego*
Inquam. MEGIST. *Et quidem!* IANIT. *Et quidem,*
inquam. MEGIST. *Eheu! occidi miſer,*
Si vera memoras. IANIT. *Quid mihi metam boni,*
Si mentiar? MEGIST. *Quid faciam igitur?* IANIT.
Iſtæc iube
Quàm ocyſsimè amolirier: age eum excita
Qui dormit iſtic. MEGIST. *Eia age Philoſympoſi,*
Philoſympoſi vigila. PHILOS. *Vigilo: cedo vt bibã.*
PISTOR. *Reuenire herum non creduam: viſo ipſemet.*
PROM. *Egoque, num ſit fama conſtans, reſciam.*

Symbulus adſtans proximè, quæ obiecerit
Pecuniam ab ſe flagitanti, ſuggeram
Tuas in aures, ſi dabis, breui. MEGIST. *Audiam.*
SYMB. *Refert Megiſto quæ exprobraui ſingula:*
Si non aberret veritate, perparum eſt:
Immò, hæc ſciat peto. Dolendum ſanè, cum
Tantâ indole ingenioque præditum, ſuo
Ita deditum genio, & voluptati illici,
Vt transferatur mentis impotentiâ
Quò raptat inſolens libido. Conſpicor
Ideò euidenter quàm viro proſit, probè
Fuiſſe rectis educatum moribus
Iam tùm à pueritiæ exeunte circulo:
Nam quid Megiſto multiplex ſcientia
Humanitatis, Aethicæ, Theologiæ,
Medicæ, Sophiæ, vtriuſque Iuris conferet,
Quando illum inexpectatus huc rediens herus
A perfideli ſeruitute, ſtrenuâ
Induſtriâ, vitæque ſanctimoniâ
Reperiet incultum? quid illi proderit
Graio, Latino, Hiſpanico, Germanico,
Gallo, Italo, Schotico, Anglico, Hiberno, ſuum os
Tinxiſſe, & ad purum imbuiſſe idiomate?
Quid vniuerſi vaſta mundi climata
Obiiſſe? quidue gratiâ & fauoribus
Potentiorum, dignitatum per gradus
Omnes, ſupremum pertigiſſe verticem?
Quid, inquam, ea vniuerſa quæ recenſui
Demum Megiſto proderunt, ſi moribus

Erit

Erit imparatus, quando herus reuerterit?
Nihil: sed hoc maioribus cruciabitur
Olim flagellis, quò fuerit instructior
Ab ingenIque corporisque dotibus.
PROM. *Hæc summa verborum illius.* MEGIST.
Virum alloquar.
PROM. *Sed excidere penè quæ subinferam.*
SYMB. *Venturus en ad me iam erat, nisi remoram*
Innexuisset Promus. Hîc te compara
Ad arguendum temperatè & suauiter
Symbule: comi lacteoque ore est tibi
Nunc opus ad hanc rem quam paras: nam leniter
In discolos qui sæuiunt, sapiunt magis.
Insulsa quæuis intus, atque extra, caro
Si intemperatè condietur, non erit
Vtibilis vlli, nec palato amabilis.
Internecina sed Megisti vt indoles
Perferre possit salsilaginis parum
Contemperatum lenitudine, est metus.
Arguere amicum ob noxiam, aut næuum leuem,
Ingratiosum est; sed grauem ob culpam & scelus,
Ingratiosius, at in ætate vtile
Eique conducibile. Ad illud aggredi
Inhorreo: inuitat tamen faciam, fides,
Amorque herilis: solus est: vacat locus
Hortationi: verba suggerat Deus.
Megiste salue: te volebam. MEGIST. *Salueas.*
SYMB.

Si gallicinio, si in tenebris concubI,
Si nocte, si conticinio, si vespere,
Si iam, ecquid externatus, ac penitissimè
Deiectus à mente obrigeres sensibus?
MEGIST. *Symbule quàm repentè demutor tuâ*
Hortatione! SYMB. *Numquid est sanissima?*
MEGIST. *Omnia ego, quæ dixti, scio, & exsignauero*
Quod gloriam meam, & rem heri perfregerim.
Sciebam vt esse me deceret: at, miser
Facere nequibam: ita blandulo atque delinifico
Sermone familiarium vinctus, mero
Et captus otio incidi in fraudem, in malum
Meum, meãque perniciem. SYMB. *Id ego perspicax*
Et suspicax diu ante praeuidi: tamen
Ne mu quidem, quo praecauerem impendium,
Ausus fui tinnire: nunc vt proximam
Interitui sum conspicatus rem, non quij
Silentio illam longiore inuoluere.
MEGIST. *Proinde multas, vt merere, gratias*
Tibi habeo, dumque viuam, habebo maximas.
SYMB. *Megiste noui quàm facilis obaudias*
Melle oblitis, ast intus atro liuidis
Felle illecebris familiarium ac dolis.
Pernoui ego quidem tuam rectam indolem,
Scio sponte non tuapte te errasse: sed
Intemperatam beneuolentiam, quæ bonos
Mores facit moros & amentes, tibi
Fuscasse pectus: ast etiam, & etiam rogo
Te vnum, vt qui abusus es rem herilem inanibus
Vanis-

Vanisque amicorum sodalitys, tenax
Vsum necessitudinemque; eiusmodi
Posthac sodalitatibus renuncies.
Etenim hoc habe: si strenuè ac frugaliter
Cum pœnitudine ac timore quicquid est
Super rei nummariæ accurantem herus
Te offenderit; veniam ipse prodigentiæ
Tuæ dabit & impunitatẽ. MEGIST. *At quis modus*
Vt hancce veterem beneuolentiam abdicem,
Ne collutuler ab improbatis moribus?
SYMB. *Si sit voluntas, nullo quidem negotio*
Id feceris: possunt trecentæ colligi
Causæ: viris scitantibus de te, inquiat
Custos foris: non est domi, dormit, lauat,
Prandet, abijt iam inambulatum, seriò
Est occupatus, orat, ornatur, studet,
Aeger laborat, combibit catharticum,
Congressiones vt frequentes exeat
Medicus iubet, non est ei operæ, non potest.
MEGIST. *Animo meo vehementer adlubet, catus*
Quod consulis: verum hocce si effectum dare
Conabor, audiam malè, & latebricola, &
Humanitatis omnis expers, ac ferus
Thesauro-chrysoni-cochrysides ego pipulo
Iniuriaque compitatim differar.
SYMB. *Eho! tu inanes proletarij gregis*
Rumusculos times inaudax! rideant,
Exsibilent, nutent, fremant, nictent, vocent,
Tuum ostium occentent, domumque vellicent,

Persent

Persistent molesti quàm velint, nam quid co opus?
Ipsi labores, quos adibis, arduos
Non præmiabunt, otiumuè punient:
Namque omne munus istud est herum penes.
MEGIST. *Rectè quidem dicis, tibique assentior;*
At omne me genus offic I intermittere,
Humanitateque exui, pudet parum.
SYMB. *Ho! te pudere, quàm pigere literis*
Totidem, potius est. Si tamen te permouet
Vultumque honesta purpurat pudentia,
Benignioris quòd tenere lineam
Humanitatis integrum tibi haud erit,
Si nuncium penitus remiseris
Tuorum amicorum sodalitijs; ego
Humanitatis alterum modum tibi,
Cûi concines, clarè indicabo, & perbreuì.
MEGIST. *Audire valde gestio, quis sit mihi, vt*
Spondes, colendæ humanitatis hic modus.
SYMB. *Benignitatem liberalis exere*
In vile pauperum genus, nec de viâ
Humanitatis Christianæ tantulùm
Deflexeris: quin immò fæneraberis
Herique nostri transferes pecuniam
In quæstum, vt ille reueniens lætitijs
Magnoque delibutus à te gaudio
Incedat, istoc & priora corrigas
Errata facto. MEGIST. *Abscede paullùm dum tua*
Consulta mecum disputaro exactiùs.

Deliberata nam voluntas proximè
Hæc me vt capessam diligenter, incitat.
SYMB. *Obaudio libens: caue ne concidat*
Nascens cupido. Sanitatis vna pars
Est, velle sanari: grauat eum insanitas:
Piget vetustæ ac tædet ægrimoniæ:
Plagam videt: se deuiasse segregem
Non infitetur: est repostus in viâ.
Metuo malè malo ne auiet commercio:
Vt namque fit: malus bonum malum esse vult,
Bonosque fœdè mores inquinant mali.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

IAnitor, monito Megisto, eum expectari à tribus sanguisugis hospitib⁹, it ad forum pro vino molliore afferendo, quia domesticum exhaustũ partim, partim acidum est. Megistus de ijs excipiendis primũ secum diu recogitat; deinde reformidans inhumanitatis notam, vltimum se ijs daturum epulum, insequentique die aliam vitam initurum pollicetur.

IANITOR, MEGISTVS.

IANI-

IANITOR.

T Erni, Megiste.prãdium expectant domi.
MEGIST. *Qui?* IANIT. *Non satis scio:*
sed, vt præ se ferunt,
Crumenimulgæ & sanguisugæ hirudines
Ternæ videntur. MEGIST. *Quidnam ais?* IANIT.
Hirundines
Ternæ mihi visæ, (inquio.) MEGIST. *Ver nunciant.*
IANIT. *Messem magis vindemiamque nunciant.*
Ego interim irrepo in forum, vinarias
Vt hasce vino molliore obbas graues
Referam. MEGIST. *Quid ita?* IANIT. *Eò quod domesticum asperum*
Et mucidum est cum fæce siccatis cadis
A noctuinis ac diurnis nuperæ
Mensæ asseclis. MEGIST. *Vola.* IANIT. *Volabo, si volat*
Testudo. MEGIST. *Nunc mecum breui recolligam*
Productione longior quæ texuit
Symbulus, antè quàm salutem impertiam
Hospitibus, vt ne intemperantiùs bibam.

Secum nonnihil meditatus, subiunget quæ sequuntur.

Ita est: herilem perdidi rem, atque penitus
Deartuaui: nulla confidentiæ
Est anchora, ad quam tutus applicem, cùm herus
Improuidè reuorterit: quid consilî?

Cessisse potiùs muneri pistorio,
Occasionem quàm dedisse crimini.
PIST. *Alter coquinatur; etiam alter pinseret.*
SYMB. *Satiùs heriles alter incurrat minas*
Trucesque pœnas. Qui sibi nequam, cui est
Bonus? PIST. *Meo si me expedissem munere,*
Precariò nunc ostiatim egentia
Vt victitarem impelleret. SYMB. *Tenuis speies*
Fiduciæque: iamne mendicabulum
Cocum putas? PROM. *Siculas blatis gerras: cedo*
Quod postulo, ocyùs, vt Megisto obtemperem.
SYMB. *Me velle tamque cum Megisto colloqui*
Dixin' statim? quid inter. vrges-rumpere
Colloquia cœpta, monitionesque optimas?
Illius es subuorsor, illius illecebra.
Ego te grauissimè apud herum rei suæ
Domesticæ deperditæ insimulauero.
PROM. *Non sum augur, auspex, aut aruspex; attamen*
Faustè ominatus ante præcinui meum
Omnem Megisti prodigentiam in caput
Tandem relapsuram. SYMB. *Feras vt vt voles,*
Tuas renarrabo insolentias hero.
PROM. *Symbule nimium sæuiter: mirandum erit*
Si post tonitru argutionum, & fulmina,
Non depluet prælargus imber. At foris
Crepuit: Megistus est: is vt me offenderit,
Quòd non parari obsonium accurauerim,
Metuo acriter ne me increpet. SYMB. *De istoc metu*
Ocu-

Oculum in vtrumlibet otiosè dormias.
PROM. *Oculum in vtrum, an aurem?* PIST. *At eius non capis*
Raram loquendi formulam: aurem in vtramlibet
Quiescere, est impendio vulgatius.
Iubet hinc quietè vtrumque in oculum vt dormias.
PROM. *Indormiam non illibenter, ac diem*
Totum otiosè conteram, cupes penum
Modò copiosam dapsilemque comparet.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

PRomo renarrante aduenienti in scenam Megisto quæ à Symbulo sibi factæ sint redargutiones; Symbulus ipse de Megisti corrupta indole secum questus, se ad Megistum prudenter suauiterque commonendum parat.

MEGISTVS, PROMVS-CONDVS, SYMBVLVS.

MEGISTVS.

S*Vnt, Prome-Conde, quæ petieram obsonia*
In hospitum aduentum, domi quos demoror,
Curata prouidè? PROM. *Mihi, morosior*

Sym-

Symbulus adstans proximè, quæ obiecerit
Pecuniam ab se flagitanti, suggeram
Tuas in aures, si dabis, breui. MEGIST. *Audiam.*
SYMB. *Refert Megisto quæ exprobraui singula:*
Si non aberret veritate, perparum est:
Immò, hæc sciat peto. Dolendum sanè, eum
Tantâ indole ingenioque præditum, suo
Ita deditum genio, & voluptati illici,
Vt transferatur mentis impotentiâ
Quò raptat insolens libido. Conspicor
Ideò euidenter quàm viro prosit, probè
Fuisse rectis educatum moribus
Iam tùm à pueritiæ exeunte circulo:
Nam quid Megisto multiplex scientia
Humanitatis, Aethicæ, Theologiæ,
Medicæ, Sophiæ, vtriusque Iuris conferet,
Quando illum inexpectatus huc rediens herus
A perfideli seruitute, strenuâ
Industriâ, vitæque sanctimoniâ
Reperiet incultum? quid illi proderit
Graio, Latino, Hispanico, Germànico,
Gallo, Italo, Schotico, Anglico, Hiberno, suum os
Tinxisse, & ad purum imbuisse idiomate?
Quid vniuersi vasta mundi climata
Obijsse? quidue gratiâ & fauoribus
Potentiorum, dignitatum per gradus
Omnes, supremum pertigisse verticem?
Quid, inquam, ea vniuersa quæ recensui
Demum Megisto proderunt, si moribus

Erit

Erit imparatus, quando herus reuerterit?
Nihil: sed hoc maioribus cruciabitur
Olim flagellis, quò fuerit instructior
Ab ingenIque corporiſque dotibus.
PROM. *Hæc ſumma verborum illius.* MEGIST. *Virum alloquar.*
PROM. *Sed excidere penè quæ ſubinſeram.*
SYMB. *Venturus en ad me iam erat, niſi remoram*
Innexuiſſet Promus. Hîc te compara
Ad arguendum temperatè & ſuauiter
Symbule: comi lacteoque ore eſt tibi
Nunc opus ad hanc rem quam paras: nam leniter
In diſcolos qui ſæuiunt, ſapiunt magis.
Inſulſa quæuis intus, atque extra, caro
Si intemperatè condietur, non erit
Vtibilis vlli, nec palato amabilis.
Internecina ſed Megiſti vt indoles
Perferre poſsit ſalſilaginis parum
Contemperatum lenitudine, eſt metus.
Arguere amicum ob noxiam, aut næuum leuem,
Ingratioſum eſt; ſed grauem ob culpam & ſcelus,
Ingratioſius, at in ætate vtile
Eique conducibile. Ad illud aggredi
Inhorreo: inuitat tamen faciam, fides
Amorque herilis: ſolus eſt: vacat locus
Hortationi: verba ſuggerat Deus.
Megiſte ſalue: te volebam. MEGIST. *Salueas.*

SYMB.

Si gallicinio, si in tenebris concubI,
Si nocte, si conticinio, si vespere,
Si iam, ecquid externatus, ac penitissimè
Deiectus à mente obrigeres sensibus?
MEGIST. *Symbule quàm repentè demutor tuâ*
Hortatione! SYMB. *Numquid est sanissima?*
MEGIST. *Omnia ego, quæ dixti, scio, & exsignauero*
Quod gloriam meam, & rem heri perfregerim.
Sciebam vt esse me deceret: at, miser
Facere nequibam: ita blandulo atque delinifico
Sermone familiarium vinctus, mero
Et captus otio incidi in fraudem, in malum
Meum, meãque perniciem. SYMB. *Id ego perspicax*
Et suspicax diu ante præuidi: tamen
Nemu quidem, quo præcauerem impendium,
Ausus fui tinnire: nunc vt proximam
Interitui sum conspicatus rem, non quij
Silentio illam longiore inuoluere.
MEGIST. *Proinde multas, vt merere, gratias*
Tibi habeo, dumque viuam, habebo maximas.
SYMB. *Megiste noui quàm facilis obaudias*
Melle oblitis, ast intus atro liuidis
Felle illecebris familiarium ac dolis.
Pernoui ego quidem tuam rectam indolem,
Scio sponte non tuapte te errasse; sed
Intemperatam beneuolentiam, quæ bonos
Mores facit moros & amentes, tibi
Fuscasse pectus: ast etiam, & etiam rogo
Te vnum, vt qui abusus es rem herilem inanibus

Vanis-

Vaniſque amicorum ſodalitÿs, tenax
Vſum neceſsitudinemque, eiuſmodi
Poſthac ſodalitatibus renuncies.
Etenim hoc habe: ſi ſtrenuè ac frugaliter
Cum pœnitudine ac timore quicquid eſt
Super rei nummariæ accurantem herus
Te offenderit; veniam ipſe prodigentiæ
Tuæ dabit & impunitatē. MEGIST. *At quis modus*
Vt hancce veterem beneuolentiam abdicem,
Ne collutuler ab improbatis moribus?
SYMB. *Si ſit voluntas, nullo quidem negotio*
Id feceris: poſsunt trecentæ colligi
Cauſæ: viris ſcitantibus de te, inquiat
Cuſtos foris: non eſt domi, dormit, lauat,
Prandet, abÿt iam inambulatum, ſeriò
Eſt occupatus, orat, ornatur, ſtudet,
Aeger laborat, combibit catharticum,
Congreſsiones vt frequentes exeat
Medicus iubet, non eſt ei operæ, non poteſt.
MEGIST. *Animo meo vehementer adlubet, catus*
Quod conſulis: verum hocce ſi effectum dare
Conabor, audiam malè, & latebricola, &
Humanitatis omnis expers, ac ferus
Theſauro-chryſoni-cochryſides ego pipulo
Iniuriaque compitatim differar.
SYMB. *Eho! tu inanes proletarÿ gregis*
Rumuſculos times inaudax! rideant,
Exſibilent, nutent, fremant, nictent, vocent,
Tuum oſtium occentent, domumque vellicent,
Perſtent

Perstent molesti quàm velint, nam quid eo opus?
Ipsi labores, quos adibis, arduos
Non præmiabunt, otiumuè punient:
Namque omne munus istud est herum penes.
MEGIST. *Rectè quidem dicis, tibique assentior;*
At omne me genus officI intermittere,
Humanitateque exui, pudet parum.
SYMB. *Ho! te pudere, quàm pigere literis*
Totidem, potius est. Si tamen te permouet
Vultumque honesta purpurat pudentia,
Benignioris quòd tenere lineam
Humanitatis integrum tibi haud erit,
Si nuncium penitus remiseris
Tuorum amicorum sodalitijs; ego
Humanitatis alterum modum tibi,
Cûi concines, clarè indicabo, & perbreuì.
MEGIST. *Audire valde gestio, quis sit mihi, vt*
Spondes, colendæ humanitatis hic modus.
SYMB. *Benignitatem liberalis exere*
In vile pauperum genus, nec de viâ
Humanitatis Christianæ tantulùm
Deflexeris: quin immò fœneraberis
Herique nostri transferes pecuniam
In quæstum, vt ille reueniens lætitijs
Magnoque delibutus à te gaudio
Incedat, istoc & priora corrigas
Errata facto. MEGIST. *Abscede paullùm dum tua*
Consulta mecum disputaro exactiùs.

Delibe-

IANITOR.

TErni, Megiste. prädium expectant domi. MEGIST. *Qui?* IANIT. *Non satis scio:*
sed, vt præ se ferunt,
Crumenimulgæ & sanguisugæ hirudines
Ternæ videntur. MEGIST. *Quidnam ais?* IANIT. *Hirundines*
Ternæ mihi visæ, (inquio.) MEGIST. *Ver nunciant.*
IANIT. *Messem magis vindemiamque nunciant.*
Ego interim irrepo in forum, vinarias
Vt hasce vino molliore obbas graues
Referam. MEGIST. *Quid ita?* IANIT. *Eò quod domesticum asperum*
Et mucidum est cum fæce siccatis cadis
A noctuinis ac diurnis nuperæ
Mensæ asseclis. MEGIST. *Vola.* IANIT. *Volabo, si volat*
Testudo. MEGIST. *Nunc mecum breui recolligam*
Productione longior quæ texuit
Symbulus, antè quàm salutem impertiam
Hospitibus, vt ne intemperantiùs bibam.

Secum nonnihil meditatus, subiunget quæ sequuntur.

Ita est: herilem perdidi rem, atque penitus
Deartuaui: nulla confidentiæ
Est anchora, ad quam tutus applicem, cùm herus
Improuidè reuorterit: quid consilî?

Secum iterum meditabitur anxius.

Cur verò tantùm, consilI anceps differor?
Cùm distrahenti semetipsum animo meo
In mille partes, sanius, præsentius,
Adeoque facilius obuiet nullum mihi,
Quàm quod sagax prudensque Symbulus probè
Suggessit: illud exequar, occinant, nuant,
Nictent, fremant mei familiares: nihil
Ad me: vnius heri beneuolentia, & fauor,
Mihi pluris est, quàm familiarium omnium
Omnes amicitiæ, aut odia acerbissima.



SCENA SEXTA.

PERIOCHA.

TRes Megisti consobrini, mensarum asseclæ, ex eius ædibus egressi, eidem secum meditabundo atque sollicito, obuiãt, quem ad omnem vanam deponendam anxitudinem, liberamque compotationem perniciosâ assentatione cohortantur.

MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS, & PISTOCLERVS.

MEGISTVS.



Ed consobrinos conspicor: quid fecero?
Eos domo si exclusero, vitio mihi
Vertetur, vt quos supplice antevenerim

Con-

Contentione, ne hospitandi gratiâ
Deflecterent viam alterorsum, quàm in meas
Aedes: penes me si hospitentur: quòd modò
Decreueram, infringo, meamque ad indolem,
Vt at volutabrum sues, redeo: hæreo hîc,
Prorsusque inops sum consilI: iste est anxifer
Ancepsque casus: nec mihi quidquam satis
Quod approbem sequarue, succurrit, nisi
Violare me iura hospitI, illos si mea
Excludo mensa: meus abhorret hanc grauem
Subire turpitudinis maculam animus,
Maculam quidem indelebilem: quâ ne noter,
Decreta res est: hodie vltimum epulum dabo:
Cras comparabo me ad nouum vitæ genus.
PHILOT. *Subtristis est, nescio quid: aggredi eũ paro.*
PHILOS. *Subtristior nobis Megiste, quàm soles,*
Videre. PISTOCL. *Quidnam tàm repentè pristinam*
Frontis tuæ hilaritudinem atque oris decus
Demutat? PHILOS. *An sors læua pessumdat domum?*
MEGIST. *Discrucior animi dum recolligo meam*
Penus herilis prodigentiam, cui
Vllus mederi vix queat. PIST. *Tuam indolem*
Rectam enecas, Megiste, teque ipsum grauas
Mœrore inani: mitiga pectus dolens,
Curasque pelle noxias. PHILOS. *Rebus tuis*
Propitia lima iudicI, vis ingenI,
Virilis ætas, eloquendi gratia,
Opes, amici, dignitas, scientia,
Securiorem vt exigas vitam, iubent.

PHILOT. *Quid anxitudo, quam doloris & necis*
Tibi propinquæ seminarium? exime hanc.
PIST. *Accedit hæc longinquitas viæ, quam init*
Herus, & inoffensa illius bonitas, cui
Securus inniti potes. Si quæ tamen
Sunt corrigenda; corriges ante illius
Reditum facillimè & resarcies. Nihil
Est quòd pauore lurido pectus neces.
PHILOS. *Tua in statu prosperrimo sunt omnia.*
Ergò beatis lætior rebus redi
Ad pristinam hilaritudinem, orisque purpuram.
PIST. *Tranquilliora sunt ea ingenia, & magis*
Mortalium communitati vtibilia,
Quæ vegeta libertas alit. PHILOT. *Temerarios*
Vinum timores exigat, quando nihil
Periculi subest. MEGIST. *Regi me hortatibus*
Vestris sinam: ergò vt liberali temeto
Curas resoluam, pransitaturi meas
Vos ferte in ædes. PHILOS. PIST. PHILOT.
Consequemur hospitem.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

SYmbulus inconstantem, & ad prodigentiam antiquã relapsum Megisti animum deplorat, se interim ad fidelitatem hero suo continenter præstandam comparans, atque commonens.

SYMB.

SYMBVLVS solus.

MEumne frustra palpitauit cor metu,
Ne discolis coinquinatum moribus
Commercium meliore de sententia
Sua Megistum dimoueret? pristinas
Epulas repetit: heu! quàm vereor ne heri graues
Incurrat iras! fortè tacitus computat
Secum priores seriore industriâ
Socordias pensare: verùm improuidus
Ante occupabitur reditu inopino heri.
Tum quot profundet lacrymas! quot irritos
Gemitus dolenti corde frustra saucius
Expectorabit! quo sonabunt pectora
Contusa planctu! quot querelas exprimet
Non profuturas! O Megiste, quàm tuas
Doleo vices! at irrita est miseratio
Miserabilis non præuidentis eminus
Neque cominus suas miserias. Prodigi
Medicam adhibere vulneri cæco manum
Vltra haud queo: quas subministrauit mihi
Natura vires machinasque, ad illius
Animum obterendum pertinacem, identidem
Admoui: ego dêinde mihimet, ac rebus meis
Vt continenter aduigilem, operam dabo.



SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

IAnitor perculsſus rumuſculis de heri ſui ſubito reditu, à foro rediens vineis duobus onuſtus cantharis, Megiſtum cum conuiuis turbat, Promo & Piſtore viſentibus num ita ſe res habeat.

IANITOR, MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS, PISTOCLERVS, PISTOR, PROMVS-CONDVS,

IANITOR.



Vllus ſum: eheu! nullus ſum: eheu! occcidi: metus
Omnem mihi ex animo ſcientiam expectorat,
Cor mortuum eſt: miſero tremunt mẽbra: eu! domum
Pertingere haud potero, ita vereor in via
Ne deſerat me ſpiritus ob hos nuncios
Heri reuertentis domum. Quid ſi modò
Reuerterit? quid ſi ad fores mihi obuiet,
Et alligatum cernat hiſce cantharis?
Sexcenti plagæ me neci dedet, ſcio.
Hac ergò condam pondus in vicinia,
Et certiorem nunciorum huiuſmodi
Faciam Megiſtum, vt cautioni indulgeat.

PHILOS.

PHILOS. *Tuæ, Megiste, sanitati hunc vrceum*
Plenum lyæi mollioris præbito
Medullitùs. MEGIST. *Bibam libenter: perbibe.*
IANIT. *Megiste*. MEGIST. *Quidnam est?* IANIT.
Ha! ego & tu. MEGIST. *Quidnam ego*
Et tu? IANIT. *Perijmus*. MEGIST. *Quid ita?*
IANIT. *Adest herus*. MEGIST. *Quid ego*
Ex te audio? IANIT. *Absumpti sumus: herus,*
inquam, adest.
MEGIST. *Vbi, obsecro te, is est?* IANIT. *Adest.*
MEGIST. *Quisnam audijt?*
Quis vidit? IANIT. *Is qui certò eum in via modò*
Affatus est, certissimò in foro mihi
Iam nunc renunciauit. MEGIST. *Itane?* IANIT. *Ita*
est. MEGIST. *Væ mihi.*
Hei! quid ego agam? tun' audijsti? IANIT. *Est mirum: ego*
Inquam. MEGIST. *Et quidem!* IANIT. *Et quidem,*
inquam. MEGIST. *Eheu! occidi miser,*
Si vera memoras. IANIT. *Quid mihi metam boni,*
Si mentiar? MEGIST. *Quid faciam igitur?* IANIT.
Istæc iube
Quàm ocyssimè amolirier: age eum excita
Qui dormit istic. MEGIST. *Eia age Philosymposi,*
Philosymposi vigila. PHILOS. *Vigilo: cedo vt bibā.*
PISTOR. *Reuenire herum non creduam: viso ipsemet.*
PROM. *Egoque, num sit fama constans, resciam.*

PHILOT. *Vigila, Megisti herus venit.* PHILOS. *Valeat herus.*

MEGIST. *Valet ille quidem: at ego disperI.* PHILOS. *Quid inaudio?*

Quid? disperIsti? PIST. *Discute hunc somnum, Dromo.*

MEGIST. *Vestras, amabo, intrò abripite eum inter manus.*

PIST. *Suppone sedi dexteram, ego tibi mutuam*
Manum dabo. PHILOS. *Caue, caue: vinum effluit.*
Euge hunc falerno spumeum scyphum tibi
Propino. PIST. *Quid? tu dormiens & somnians*
Etiam bibis? MEGIST. *Eheu! funditus perij miser.*
Quid faxo? herus me offendet in reditu ebrium,
Aedesque plenas helluantium: neque
Prætendere vlla prodigentiæ meæ
Mantela possum: me haud modò faciet vlmeum,
Aut emerentem claudet obscuro specu;
At sempiterno lancinabit funere.

SCENA NONA.

PERIOCHA.

DRomus & Pistor reportatis contrarijs nũcijs turbatum Megisti animum componunt: redintegrat Megistus conuiuium, & liberaliùs potui, lusuique indulget.

PISTO-

PISTOR, PROMVS-CONDVS, MEGISTVS, PISTOCLERVS, PHILOTIMVS, PHILOSYMPOSIVS, IANITOR.

PROMVS-CONDVS.

ANimos, Megiste, collige, ac te recrea:
Ex fraude namque totus, & mendacio
Compostus est rumusculus, quo tardipes
Senioque delirus propè iste Ianitor
Periculosè te domumque perculit.
PISTOR. *Turbatiores nuncijs inanibus,*
Megiste, sensus fac resumas: Ianitor
Est falsidicus: haud vidit vsquam gentium,
Herum tabellio: immò abesse millibus
Multis, morarique orbis extrema in plaga
Certissimò asserit. MEGIST. *Fidem certam facis?*
PISTOR. *Facio fidem: fecit fidem tabellio,*
Qui herum in via conuenit, abs quo inaudijt
Longinqua cursu spatia, & oras barbaras
Orbemque nostro vertici obuersum, vltimo
Submota mundo zona quem disterminat,
Ratum sibi percurrere, vt visat Patrem.
Quodque in recessu penitus extremo abditus
Extrema celsi regna transierit poli,
Metuens suam ne perderemus rem otio
Epulisque, finxit se reuorsurum breui,
Ac furis instar huc relaturum pedem.
MEGIST. *Tua ista verba congruuntque & concinunt*

Mira-

Mirabili consensione cum mei
Heri ad viam se comparantis vltimâ
Oratione, quâ suam nobis domum
Credens penumque, nos ad parsimoniam, ad
Fidelitatem, & otij ad inertis fugam
Et continentes ad labores impulit.
Respiro sensim, & frigida in præcordia
Sanguis timore congelatus refluit.
Redintegremus prandium. Mihi aside
Hîc Pistoclere: subsequantor cæteri.
Trepidante collisos metu animos, poculis
Reparate largioribus: agite hospites
Hâc vos per orbem combibendâ prouoco
Paterâ. PISTOCL. *Profundæ pacis, atque gaudij*
Cumulum, Megiste, potus istic afferat
Tibi, precamur. MEGIST. *Ecce quem fundo tenus*
Cyathum ebibi, vos hunc vicissim vertite
Epotum ab imo, nec nisi tersum date.
Vt condiatur temeti sapor, placet
Fastidiosi temporis graues moras
Lusoriarum sorte chartarum aureis
Nummis quaternis fallere? PHILOT. *Adlubet.*
PHILOS. *Placet.*
PISTOC. *Lusoriæ chartæ, merum quas perluit,*
Ludente dextrâ molliùs semper cadunt.
IANIT. *Ego interim vini repostas amphoras*
Heri reuertentis metu in viciniâ,

Repor-

Reporto, ne quis hauriat. MEGIST. *Luſorias*
Inter profuſus perluat chartas ſcyphus.
IANIT. *En, quos, heriles expauens vultus, cados*
Abſtruſeram in vicinia. MEGIST. *Euge, ſtrenuâ*
Pro diligentiâ, culullo te hoc laua.
IANIT. *Hoc me fluentum Bacchicum malim lauet,*
Quàm beluoſus qui remotis obſtrepit
Nereus Britannis. PROM. *Te ſuis Athlanticum*
Immergat vndis æquor, vt promeritus es,
Malim, ſenex ſtomachoſe, turbarum faber,
Tranquillitatis ruptor improbe. IANIT. *Ecquid hæc*
In me immerentem congeris conuicia?
PROM. *Sunt in merentem congerenda verbera*
Non verba, noſtræ ò dira tempeſtas domus.
IANIT. *Mihi oggerenti verba, pugnos oggero*
Quos exedas. PROM. *Ego tibi hoc capulo tenus*
Ad pectoris cratim ingero clunabulum.
MEGIST. *Vltrice vindex inuolabo in vos manu,*
Quod hoc meas furore turbatis dapes.

SCENA DECIMA.

PERIOCHA.

INteruenit repentè Paterfamilias, helluantibus, ludentibus, interque ſe cædentibus famulis, & Megiſtum poſt multas exprobrationes beneficiorum in eum collatorum, & ſuæ infidelis prodigentiæ, con-

condemnat æterno carceri ac tormentis infinitis cum cæteris conuiuis & infidelibus ministris.

PATERFAMILIAS stipatus Satellitibus, MEGISTVS, PHILOSYMPOSIVS, PHILOTIMVS, PISTOCLERVS, IANITOR, PROMVS-CONDVS, PISTOR, COQVVS, EPHOEBVS HONORARIVS.

PATERFAMILIAS.

IStæcne cura meæ familiæ! istæc fides!
Istæc penus reique parsimonia!
Istæc opera, studium, laborque, perfide,
Periure, nequā serue! Quænam inaudij!
Quàm indigna! quàm famosa! sed, quæ conspicor!
Hinc execratas tesseras; lusoria
Inde folia; illinc graues Iaccho cantharos;
Aliunde perspersos meis nummis scyphos;
Quàm audax facinus, & impudens! non es modò
Lurco, nepos, vorago, gurges, helluo;
Sed fur, trifurque. Quid istud est? ædes meas
Fecisse cauponarias, cauernulas
Furum, & tabernas! tetret æther hoc tuo
Flagitio. Eumne in finem, ego vilissimo
Te de luto exceptum familiæ in ordinem
Meæ, supremos dignitatis ad gradus
Olim extuli, filijque dilexi loco,
Ingrate! MEGIST. *Totus sum nocens: si quodlibet*
Quod perpetraui prodigentior scelus

Exactio-

Exactiore ponderabis calculo,
Nullâ expiari quibo victimâ: at, precor,
Miserere. PATERF. *Quid! miserere! &, audes hiscere!*
Quâ fronte misericordiam expetiscere!
Quâ fronte herilem postulare gratiam!
Quâ fronte pœnæ immunitatem poscere,
Audaciæ columen, potes! Tu, rem meam prodegeris;
Ego peprecero! Tu, tuam in libidinem,
In carnem, in illecebras, tot argentarias
Opes deartuaueris, decoxeris,
Absorpseris; ego indulsero! Tu compares
Tuos iniquæ seruitutis improbo
Pressos iugo, ceu misera mancipia tua
Conuiciis, pugnis, flagellis barbarus
Contuderis; ego connixero! Tu tot meas
Commonitiones, consilia mea, vetita
Mea pro nihilo habita despueris; ego sinam,
Patiar, feram! non perferam: siui diu,
Sum passus hactenus, tuli satis. MEGIST. *In.* PATERF. *Sile:*
Non audio purgationes futiles.
Mantela frustra crimini obtendis tuo.
Sum testis, aduocatus, arbiter: patet
Tua causa. MEGIST. *In hoc iam deprehendor primitus.*
PATERF. *Hui! primitus! fuissene igitur hospites*
Aures & oculos deputas primâ tuâ
Effusâ in illâ prodigentiâ, meum

Cùm

Cùm tu Coquum fidissimum, libidini
Vehementer obnixum tuæ, præter modum
Citráque noxam, verbere intorto minax
Meis furenter expulisti ex edibus!
Cùm mutuum suum reposcentem senem
Interminato territasti funere!
Cùm iura dici flagitantem Villicum
Pauperrimum, omni iure violato, domum
Vitæ vnicam spem, & arma ruris vendere
Metu impulisti carceris! Non est ita?
Quos deinde fucos, quas strophas obtexere
Audebis impudentiæ tuæ? siles:
Tua te arguit, damnatque conscientia,
Vt mille testes. At, quid hoc amentius
Quàm, ne volup deperderes breue, perpetes
Et sempiternas in cruces incurrere!
Hem! tam citò, animo de tuo erasa effluunt
Quæ interminor? meritissimas à te exigam (cere
Pœnas. MEG. *Mei miserere.* PATERF. *Te miseres-*
Tui, priùs decuit. MEGIST. *Tuam per dexteram,*
Per viscera, & miserationes pristinas
Efflagito, miserere. PATERF. *Nulla erit tui*
Miseratio. MEG. *Heu! nulla!* PATERF. *Non: dum*
Artus reget meos: ita mihi feruidâ (spiritus
Ebullit iracundiâ pectus tuis
Sceleribus igneum. Tibi inferam necem,
Lentam necem, necem renascentem, necem
Interminatam, atque cruciabilitatibus
Nouis in æternum recrudentem: tibi

Nullum

Nullum relinquam supplicI genus: neque est
Vllum satis: boiæ, numellæ, compedes,
Manicæ, catenæ, carceres, nerui, cruces,
Stimuli, flagrantes laminæ, non suppetunt
Merita flagella crimini, atque insaniæ
Tuæ: quid ergò? mersa cuspis gutturi?
Parum est: patibulum? & hoc parum est: incendia?
Pauxillulum est: sartagines bitumine
Resinâque frigentes? & hoc etiam parum est:
Cratesne flammeæ? nec hoc quidquam: omnia hæc
Cumulata, & infinita alia nunquam hactenus
Crudissimo generi hominum vsitata, nec
Quidem obuia exactissimis etiam ingenIs
Supplicia in vndanti voracium ignium
Et sulphuris stagno, per omnes omnium
Aeternitates seculorum, in hoc tuum
Teterrimum efflictim aggerabuntur caput.
MEG. *Heu! heu! nec vllum iã mihi effugium patet.*
Oh! sempiternas perpeti cruces! quis est
Qui perferat! cùm febrientes impotes
Sint vnius dieculæ, aut noctis moram
Pati, suisque plumeis in lectulis
Inter propinquos, inter & solatia
Tricena, tantis lancinet doloribus
Febris ægrientes, nox vt vna appareat
Anni instar, atque semper inclament diem.
Quis verò fætam morte perferat specum,
Et sempiternæ noctis illius chaos
Caliginosum, diues omniformibus
Pænis hüic inusitatis seculo, *Im-*

Immansuetis, barbaris, immitibus,
Semper nouis, semper recrudescentibus,
Omni procul solatio quod leniat,
Minuatue pœnas: nulla namque illic salus,
Nulla est redemptio; at inquietus dentium
Stridor, fremor, vlulatus, eiulatio,
Et sempiternæ mortis horror obstrepit.
Atque hæc ego tormenta cogor perpeti
In seculorum æternitates! PATERF. *Ita.* MEGIST. *Papæ!*
Nunquamne finis! PATERF. *Nunquam.* MEGIST. *Eheu! saltem, tria*
Aut quinque, vel septem, aut decem post millia
Annorum. PATERF. *Inanem ludis operam: fundis hîc*
Frustra preces: nunquam eximere. MEGIST. *Heu! hei mihi!*
Quàm longa! numquam terminanda æternitas!
Heu! heu! vbi fuere tunc sensus mei,
Quando illecebris perbreuique gaudio
Mihi comparaui æterna supplicia? ô breue
Mendaxque gaudium, quàm es execrabile
Mihi modò! à te pendet hæc æternitas
Pœnarum, & immensi miseriarum omnium
Montes. O hostis pestilens illex caro,
Sociique detestabiles! O pocula
Mensasque perditissimas! ô tesseras
Malè ominatâ sæpiùs iactas manu!
O dira ludi lacrymabilis folia!

O stati-

O ſtaticulos, & inominata tripudia!
O luctuoſa, calamitoſa, funebris
Pandura, cornu, chroma, buxus, tibia,
Animoſque laxans euiratos otium!
O alta montium iuga, obruite hoc meum
Miſerabile, & deperditum corpus, cruces
Ne ſempiternas & renaſcentes ferat!
Aeternitatis nulla erit redemptio, &
Salus. PATERF. *Nihil prodeſt queri: ſerum eſt: dabis*
Meritiſsimas pœnas. Sed & vos hypocritæ,
Nunquam meas exibitis manus: ei
Lurcatione in dapſili ac luxu, pari
Studio ſodales perſtitiſtis; & pari
Illi ſodales deperite funere.
Vbicunque lignum ceciderit, ibi æternum erit.
Adeſte tortores truces, & vinculis
Hos irrefractis illigatos claudite
Specu profundâ, cunctiformibus modis
Torquete, nec ſit meta tormentis. Volo
Hoc puniantur Infideles exitu.

SATELLITES ſiue tortores.

Noſtra, helluones, incidiſtis vincula:
Ad inferorum dapſiles menſas, vbi
Vos vua fellis, botrus inſuauiſsimus,
Vos fel draconum, & virus aſpidum, loco
Meracioris maſsici, inſanabile
Inebriabit ſempiterna amentia,
Iam pertrahendi. MEGIST. *Nulla ſit clementia?*

SODALES MEGISTI.

Nullum sit effugium! SATELL. *Neq; effugium, neq;*
Clementia vlla: clausus est veniæ locus.

REI OMNES.

Eâ! misericordia! hêi! misericordia! O! Eheu!

SCENA VNDECIMA.

PERIOCHA.

Paterfamilias fidelem ministrum Symbulum bonorum suorum in omnium seculorum æternitatem facit participem.


PATERFAMILIAS, & SYMBVLVS.

PATERFAMILIAS.

Istæc noui noua forma iudicij animum
Tuum metu perculerit horrido, scio: at
Pallor abeat, abeat metus, rasus animo
Terror abeat: non te mea hæc fera iudicI
Fulmina petunt: non te mea hæc ira ignea
Tangit, fidelis ô minister: gaudia
Süauiora pro merente præmio
Tui laboris apparaui, Cælitum
Felicitati quàm simillima: omnium
Hodie meorum te bonorum nuncupo
Hæredem. SYMBVL. *Euax! euax! euax! quàm*
ingentia
Pauxillulum meum laborem præmia

Pen-

Pensant PATERF. *Fidelem, ac inquietam, & perbonam*
Meæ familiæ contulisti operam mea in
Absentia: alsisti satis, satis anxiâ
Inæstuasti prouidentiâ: satis
Curis edacibus, satis formidine,
Satis vigile custodiâ animum, oculos, manus
Totumque corpus defatigasti: volo
Supersedere te laboribus: volo
Deinceps profundâ te quiete perfrui:
Volo mearum te voluptatum merâ,
Dulcissimâ, integerrimâ, lætissimâ,
Ac sempiternâ: opimitate, maximè,
Plenissimè, immortaliter perfundere.
Euge ergo, serue bone & fidelis *præmia*
Capturus, intra in gaudium Domini tui.



SCENA DVODECIMA.

PERIOCHA.

SYmbulus fidelis seruus, dum in scenâ chroma cum instrumentis musicis personat, attonitus immensi gaudij inusitato procemio, pro suo momentaneo labore ac seruitij hero exhibiti fidelitate, mirari satis non potest, intratque in sempiternum Domini sui gaudium.

SYMBVLVS solus.

INtro: sed, heus! quod gaudij hoc proœmium!
Quid ago? vbi sum? mens obrigescit: entheor,
Extraque raptor corporis compaginem,
Dum identidem meis oberrat sensibus
Oblata pro labore momentaneo
Aeternitas omnis laboris insolens.
Sed, quæ oda gratis adsonans concentibus
Permulcet aures! ô voluptatis fauum!
At vnde manat? vnde? vestibulo: Bone
Deus! melos tam suaue vestibulum adsonat!
Quidnam futurum est in cauædio? quid in
Penetralibus adytisque penitissimis?
Intrabo: tantam dulcitudinem mihi
In seculorum æternitates abditam
Libabo felix, hauriamque faucibus
Plenissimis, & ebriabor perpetim.



DRA-

DRAMATIS

EPILOGVS.


Trunculorum ludionum scenicas
Enixè in artes ac facetias satis
Argutulas oculo irreflexo & auribus
Proni retersis, otiosam improuidi
Spectastis istic prodigentiam, probam
Industriamque prauidi serui; imparem
Et vtriusque disparis vitæ exitum.
Esto duorum exemplar instar omnium.
Hoc fine serui puniuntur improbi.
Hoc fine serui munerantur approbi.

LAVS DEO, BEATAEQ; VIRGINI.



FILII PRODIGI VITAM SVAM ANTIQVAM DETESTANTIS

Θρηνητικόν.

HEu! vbi sum? vnde abij? quam mensam epulasque reliqui?
In quod ego miser officium lacrymabile veni?
Quæ quibus antetuli? in quæ me commercia ieci?
Quas mihi, quas mensas posui? quæ obsonia coxi?
Ecce ego quem diues placidi patris aula recepit,
Quem locupletis opima penus opulentia pauit,
Quem circum steterant famuli vernæque sequaces,
Quem celebrauit honos, quem gloria laudibus auxit,
Quem chlamys intertexta auro, quem purpura texit,
Quem somnus, quem lenta quies in pace locauit;
Nunc iaceo sordentis haræ sine nomine custos:
Nunc tremulo vix tecta fremũt mihi frigore mẽbra,
Membra, lacer circum & vilis quæ nubit amictus:
Nunc mihi porcorum grunitus hic otia turbat:
Nunc me putentis stabuli graueolentia potat:
Nunc vix porcorum glandes alimenta ministrant.
O multis lacrymanda modis ærumna! quid istud?
Quò recidi? quò me demens, quò denique verti?

Hêi

Hei mihi! quò reuolutus ij? quænam ista ciborum est,
Quâ sine more premor, miseranda angustia? multo
Vbere setigero pecori data suggeritur glans;
At mihi, eam cupido si deprecor ore, negatur.
Quænam ista est monstrosa fames? sua pabula vilis
Porcus habet; nec homo, vili data pabula porco,
Ad quæ ardenter hiat, valet impetrare. Suprema,
Iam, video, meritum caput infortunia lambunt.
Me miserum! quem non placidi pia viscera Patris
Permouere, suis vt in ædibus intimus æui
Quicquid erat mihi trāsigerem. Quid iniqua libido,
Seruilis quid libertas, quid cæca voluptas
Profuit, à patrio iuuenem cùm dispulit orbe?
Nil: nisi quod mihi pauperiem, maciemq;, famēque,
Infamemque ignominiam, sordesque, lutumque
Attulit. O! quanti iam in sede parentis abundant
Panibus, hic autem, extrema ecce in morte laboro,
Atque fame pereo. Surgam, ad patremque redibo:
Cui referam hæc, vbi fandi aditus, & tempora norim:
In cœlum, coramque tuo, Pater optime, vultu
Peccaui, neque iam nati sum nomine dignus.
At verò immensa motus pietate tuorum
Non secus ac sancto famulorum ex ordine posco
Fac me vnum: quid porro moror? quid tardo regressum?

OCCVRRENTIS REDEVNTI FILIO SVO PRODIGO, PATRIS παθητικόν.


Ilius extrema regione reuertitur ædes
Ad patrias, vt certa meas penetrauit in aures
Fama: mihi, nihil hoc reditu iucundius. Illi
Obuio, & amplexus patrios atque oscula figo.
O! quanto mihi lætitiæ præcordia motu
Subsiliunt tractanti animo carissima prolis
Ora reuertentis. Nihil illâ triste receptâ.
Quæ tulit hinc abiens auri argentique talenta
Plurima, non dubito malè quin decoxerit: esto;
Noui ego quàm facili in præceps trahat impete mẽtes
Humanas stare indociles per lubrica, perque
Propensas, rapiunt dirocum Dæmone vinum,
Fœmina, opes, comites, feruor iuuenilis, amorque
Libertatis: eo, miseri me impensiùs æquum est
Mente, oculo, vultuque mei miserescere nati,
Quem tantis emersum vndis licet ore tueri
Incolumem. Decoxit opes, amisit amictum,
Dedecori patrium maculauit crimine nomen,
Hæc scio: tantorum tenuis iactura bonorum est:
Cuncta (boni quæ magna cluet clementia Patris)
Restituam, quando supplex, humilisque reuertit;
Atque illum veteri gaudens in honore locabo.
Inde Patris deinceps feruebit amore, fidelis
Obsequio, legisque tenax. Verùm ecce propinquat.

FILII

FILII PRODIGI AC PII PATRIS OCCVRSVS

Ερωτικός.

HEm! quid agò! quâ fronte mei me ante ora Parentis
Obijciam, vsque adeo miserando in schemate nudi
Corporis, illius post tot consulta monentis
Flocci habita, argenti tot post aurique talenta
Nequiter in miseros vsus absumpta? quid, inquam,
Cæcus ago? peragamne viam? retrone reuertam?
Quid faciam? si retro viam, gressumque reflecto;
Dispereo. Nimis hic anceps animique viæque
Hæreo. Quorsum iram formido parentis & ora?
Est illi insignis pietas: sunt cerea flecti
Viscera: sponte mei, haud dubium est, miserebitur eius
Aduoluar supplex genibus, veniamque precabor.
Ecce autem me præueniens ante occupat vltrò.
In cœlum coramque tuo Pater optime vultu
Peccaui, neque iam nati sum nomine dignus:
At verò. PATER. *Quàm te carissime nate lacertis*
Accipio, amplexorque libens, post flebile, longumque
Exilium! Citò ferte stolam, pedibusque cothurnos:
Eximius stricto vitulus cadat ense: feratur
Annulus. Euge, redux festâ celebrabere mensâ.

SE-

SEQVENTIA PER INCVRIAM OMMISSA, REFERENDA SVNT ad Pag. 22.

SACROSANCTÆ EVCHARISTIÆ VICATIM LATÆ,

Προσφωνητικόν.

A Scripta cælis agmina mentium
Diuis Volucrum nutibus obsequi
Hæc æmulatim disputare
Mira Dei trepidate monstra:
Patrumque priscis temporibus noua
Immane quantùm secula discrepent
Fælicitate gratiarum;
Per veteres reuocate fastos.
Sub lege, vixit quâ genus Isaci
Vtcunque lucens sol habitabiles
Lustrabat oras, vna solùm
Ara fuit, fuit vna cælo
Votiua templi machina, scilicet
Vni supremo peruia Præsuli
Quà separatum ritè toto
A populo penetrale stabat.
Eâque cæci parte sacrarij

Quam

Quam tura plenis fumea lancibus
Caliginosas imbuebant
Per tenebras, residebat Arca
Negata certis duci oculis, manu
Vllaque tangi. Quid quod Abramidæ
Iordanis aluêum transmeantes
Cum strepero sonitu tubarum
Bis mille sectâ per cubitos viâ
Semoti ab Arcâ fœderis, ordine
Longo subibant præstituto
Pontifici, pauitante passu?
Quid verò Moses, dum parat arduum
Sinâi cubantis scandere verticem
Cunctante vulgo sub reductâ
Valle iugi? quis ibi tumultus?
Crepante curru nubila protinus
Discindit orbis Conditor, & locum
Rubente dextra territando
Fulguribus iaculatur ignêis.
Hæc ergo totis Diua potentia
Porrecta terris, quæ bipatentibus
Cœlisque, mortalique turbæ
Imperitans celerat pauores,
Quamuis Auorum temporibus suos
Haud sumptuosâ mollior hostiâ
Præsente suffugit fauores
Innocuis aperire vultu;
Inhospitales ecce tamen casas
Et execratis horrida sordibus

Insi-

Insistit vltro templa; fœdas
Nec scelerum fugit officinas:
Sed perfurentes inter adulteros
Inter latronum sacrilegos greges
Versatur, impastosque cœli
Pane cibat, reficitque potu.
Ast efferati, mentis & impotes
Hæc tanta amoris symbola negligunt.
Prô crimen, inuersique mores!
Sic hominem furiat voluptas?
Christe ignis ardens quid rapere occupas
Algentem amorem gentis adulteræ?
Compesce commissos calores
Digne Deus potiore flammâ.

IN IDEM ARGVMENTVM.



Hriste flammato venerate cœlo,
Christe damnatis iaculate mortes,
Christe porrectis metuende certo
Fulmine terris:
An proteruarum Pater atque vindex
Prolium, tanto radiatus igni
Secta diuerso vigil inter erras
Compita calle?
An tuo Pastor metuens ouili,
Quà lupus frendet, sequeris viarum
Signa, & hostiles relegens retexis
Orbibus orbes?
Anne septeno Ierichontis vrbem

Am-

Ambitu, sacræ validoque flatu
Buccinæ, ex imo properas retrorsum
Vertere fundo?
An venenatis odij sagittis
Saucios agri per aprica fratres
Tesqua vestigas grauiore curâ
Aemule Ioseph?
An sui oblitas animæque magnæ
Prodigas quæris soboles? feruntur
Moribus fluxi per iniqua mundi
Lege solutis:
Has, amor, census, honor, & voluptas
Igne venales nimis illigarunt:
Iamque pertentant malè criminosâ
Compede vinctas.
Interim dextrâ nisi præpotente
Arceas, dentes acuens tremendos
Mortis extremum meditatur atrox
Lucifer ictum.
O pater lapsi columen, Reique
Supplicis vindex, sobolem, malignæ
Sit tuo quamuis fugitiua vultu,
Eripe morti.
Ecquid, ah! nunquàm satiate longo
Ambitu, surdam imperijs laboras
Mollibus cœlo reuocare prolem?
Fortiùs vrge.
Efficax legem minùs audienti
Imprime horrores, iaculata mortem

Fulmi-

Fulmina intorque, quibus obstinatas
Applicet aures.
Annue hoc tantis quibus inuocare
Supplicum votis, vt amore cæli
Ac tui, vitæ reliquos dëinceps
Ordinet annos.

VOLVMINIS PRIMI
FINIS.

